

**VII MARTII.  
DE S. THOMA AQVINATE DOCTORE  
ANGELICO, ORDINIS PRÆDICATORVM,  
VITA**

**Auctore Guilielmo de Thoco Ord.  
Prædicatorum Ex MS. Coloniensi monasterij  
Crucigerorum, collata cum varijs Actis MSS.  
ex hac desumptis.**

**INDEX TITVLORVM  
præfixorum singulis Capitulis, quibus in numeros  
translatis; noua Capitem distinctio datur.**

- 1 Procœmium de historia S. Thomæ de Aquino Ordinis Prædicatorum, & primo de natiuitate, institutione & eius commendatione.**
- 2 De ortu S. Thomæ, quando fuerat prophetatus.**
- 3 De signis, quæ in eius pueritia apparuerunt, & de auxilio custodiae.**
- 4 De chartula Virginis, quam puer diuinitus accepit, retinuit manu clausa.**
- 5 Quod parentes puerum obtulerunt nutriendum in monasterio montis Casini.**
- 6 Quod de consilio Abbatis prædicti monasterij puerum parentes mittunt Neapolim.**
- 7 Quod sanctus puer multum proficiens, Ordinem ingreditur Prædicatorum.**

**8 Quod mater eius audiens ingressum eius ad Ordinem, sibi diuinitus prophetatum, venit Neapolim ipsum in Ordine confirmare.**

**9 Quod mater turbata, quia filium videre non poterat, fecit ipsum per filios alios, qui erant cum Frederico Imperatore, in custodia capi, & sibi mitti.**

**10 De pugna virtuosa & profectu, quem habuit in carcere.**

**11 De acriori insultu certaminis, quod Deo auxiliante vicit.**

**12 Quomodo sanctus iuuenis fuit suo Ordini restitutus.**

**13 Quod prædictus Sanctus Ordini restitutus ad Magistrum S. Albertum eiusdem Ordinis in Coloniam mittitur instruendus.**

**14 De commendatione Magistri eius S. Alberti in vita & scientia.**

**15 Quod persuasione Magistri Alberti factus est Frater Thomas Baccalaureus Parisijs.**

**16 Quod dictus S. Thomas potest ex figuris veteris & noui Testamenti congrue commendari.**

**17 De visione, quam habuit, quando factus est Magister in Theologia.**

**18 De profectu sui magisterij in libris, quos fecit.**

**19 De erroribus, quos prædictus Doctor destruxit, & primo Auerrois.**

**20 De errore Guilielmi de S. Amore, Segeri & eorum sequacium.**

- 21 De errore noui spiritus libertatis & tertij status mundi.**
- 22 De errore Græcorum, quem destruxit.**
- 23 De conuersione duorum Iudæorum magnorum, per prædicationem & eius orationem.**
- 24 De vniuersis virtutibus eius.**
- 25 De humilitate prædicti Doctoris.**
- 26 Aliud de eius humilitate.**
- 27 Item de humilitate eius aliud exemplum.**
- 28 De dicti Doctoris mentis & corporis puritate.**
- 29 De puritate eius mirabili cuidam Fratri reuelata.**
- 30 De dicti Doctoris contemplatione & oratione.**
- 31 De his, quæ prædictus Doctor orando petebat.**
- 32 De effectu mirabili orationis eiusdem Doctoris.**
- 33 De alio effectu suæ orationis.**
- 34 De eleuatione corporis eius in oratione eius.**
- 35 Quomodo duobus cubitis.**
- 36 Quod prædictus Doctor fuit consilio prouidus.**
- 37 De prædicti Doctoris miranda caritate & benignitate.**
- 38 De naturali propagine dicti Doctoris.**

**39 De naturali dispositione corporis dicti Doctoris, quæ respondebat interiori virtuti mentis.**

**40 De subtilitate ingenij eius.**

**41 De rectitudine iudicij eius.**

**42 Quod prædictus Doctor fuit magnæ memoriæ.**

**43 Quod fuit rerum temporalium & honorum contemptiuus.**

**44 Quod fuit abstractus a sensibilibus.**

**45 De visione, quam habuit de Sorore sua.**

**46 De visione Fratris Romani.**

**47 De reuelatione prædicti Doctoris de Fratre tentato.**

**48 De reuelatione dicto Doctoris facta, & mentis abstractione.**

**49 De deuota eius prædicatione & prosecutione sermonis.**

**50 De visione habita & dicti Sancti historia vitæ suæ.**

**51 De miraculis factis in vita dicti Doctoris, & primo eius socio mirabiliter sanato.**

**52 De miraculo dentis superflui dicti Doctoris, qui subito de ore decidit.**

**53 Quomodo de Sacramento altaris, quod scripserat & conceperat, per visionem Christus approbavit.**

**54 De muliere a fluxu sanguinis liberata.**

**55 De stella, quæ visa est ingredi cameram dicti Doctoris, & stare supra caput eius.**

**56 De pugna, quam visus est prædictus Doctor facere contra dæmonem in camera sua.**

**57 De vocatione dicti Doctoris ad Concilium Lugdunense, & de eius infirmitate, & miraculo piscium.**

**58 De ingressu dicti Doctoris in monasterium Fossæ-nouæ, & quod prophetavit de suo obitu.**

**59 De felici obitu Doctoris dicti, & deuota susceptione Sacramenti sancti Corporis Iesu Christi.**

**60 De mirandis præsagijs obitus dicti Doctoris.**

**61 De visione habita Neapoli & sancti Doctoris obitus die & hora.**

**62 De illuminatione cæci.**

**63 De deuota dispositione sancti funeris dicti Doctoris.**

**64 De mirabili testimonio Confessoris præfati Doctoris.**

**65 De visione etiam ostensa post dicti Doctoris obitum.**

**66 De tempore obitus dicti Doctoris.**

**67 De prima corporis dicti Doctoris Translatione.**

**68 Quod fuit diuina dispositione prouisum, vt in dicto monasterio obierit.**

**69 De secunda Translat. iterati odoris & iteratis miraculis.**

**Huc vsque erant Capita annexa titulis, quæ in sequentibus deerant a nobis suppleta: quæ etiam in duobus vltimis capitibus videntur defuisse, quod numerus 67 bis reperiatur.**

**70 De miraculo odoris ad manum dicti Doctoris tertio iterato.**

**71 Quod Dominus Thomas Comes Marsiti, nepos dicti Doctoris, fecit prædictam manum deponi in loco Fratrum sui Ordinis Salerni.**

**72 De miraculo curationis Magistri Rainaldi.**

**73 De liberatione pueri paralytici, imo dæmoniacy.**

**74 De patiente arteticam liberato.**

**75 De patiente febres liberato.**

**76 De patiente febres subito liberato.**

**77 De leproso sanato.**

**78 De liberato ab apostemate.**

**79 Item aliud miraculum.**

**80 De duobus Fratribus liberatis in mari, meritis dicti Sancti, qui, inuento ipso miraculo in mari, ibant ad curiam Summi Pontificis.**

**81 De processu totius negotij vsque ad Inquisitionem factam in curia, de fama, vita & miraculis dicti Sancti.**

**82 De Inquisitione Neapoli post reditum dictorum Fratrum de curia.**

**83 De visione, quam quidam monachus habuit de prædicto Doctore.**

**84 De monacho liberato ab apostemate.**

**85 De monacho ab apostemate & febribus liberato.**

**86 De monacho a febribus liberato.**

**87 Item de febribus liberato.**

**88 Quod per inuocationem S. Thomæ magna tempestas fuit sedata.**

**89 De curatione brachij cuiusdam Conuersi.**

**90 De curatione brachij vnus Conuersi eiusdem claustrum.**

**91 De quadam puella a graui infirmitate curata.**

**92 De quodam eremita a quadam infirmitate curato.**

**93 Quod curauit quemdam de parte fracturæ, quæ mansit in brachio post curationem ipsius.**

**94 Quod quemdam curauit a febre quartana & a dolore brachij.**

**95 Quod vnum liberauit a tussi grauiter patiente.**

**96 Quod per applicationem reliquiarum S. Thomæ quædam filia a struma in gutture fuerat liberata.**

**97 Quod quidam de dolore in dextero latere fuit liberatus.**

**98 Quod curauit quemdam grauem dolorem stomachi patientem.**

**99 De quadam filia a febre liberata.**

**100 Quod curavit puerum a lunatica infirmitate.**

**101 Quod cuidam visum restituit, quem quatuor vicibus amisit.**

**102 De puero, qui dormire non potuit, quem dormire fecit.**

**103 Quod curavit quemdam a tumore gutturis.**

**104 Quod liberavit puerum per molendinum arreptum.**

**105 Quod curavit quemdam in vtroque oculo.**

**106 Quod curata fuit a dolore brachij per tactum computi sui, cum quo antea tetigerat reliquias S. Thomæ.**

**107 De quadam a dolore gutturis liberata.**

**108 Quod curavit cuidam mammillam suam.**

**109 Quod liberavit quemdam a tumore auris.**

**110 Quod curavit quemdam tribus annis in tibia tumorem & dolorem patientem.**

**111 Quod curavit quemdam a fistula.**

**112 Quod curavit quemdam ab hydropisi.**

**113 Quod curavit vnum de dolore coxæ & inguinis.**

**114 Quod curavit vnam a paralyti.**

**115 Quod curavit quemdam a podagra.**

**116 Quod vnum de graui dolore stomachi.**

**117 De liberatione cuiusdam a dolore brachij.**

**118 Quod liberavit quemdam a quartana.**

**119 Quod curavit Dominum a graui dolore oculorum.**

**120 Quod curavit quemdam a duplici tertiana.**

**121 Quod curavit quemdam Archiepiscopum tumorem cum vlcere in tibia patientem.**

**122 Quod prædictum Dominum ab acutissima febre liberavit.**

**123 Quod curavit quemdam Dominum a duplici tertiana.**

**124 Quod saumarius, qui cecidit super acutissimos lapides, in nullo fuit læsus.**

**125 Quod liberavit Dominum Matthæum cum equo in periculo præcipitationis desperatum.**

## **CAPVT I.**

**Proœmium. Præsagium ante natiuitatem. Ortus, Acta adolescentiæ. Studia. Ingressus in Ordinem.**

[1] Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, modernis temporibus, quasi ad mundi vesperam, cum videbatur in suis manibus lumen suæ notitiæ abscondisse; [Ecclesiam illustrarunt Apostoli.] radiis noui luminis iterum Ecclesiæ miseratus, illuxit: & quot Doctoribus fideles suos nouiter docuit, quasi tot sideribus mundum mirabiliter illustravit. Nam cum illa Dei Sapientia, Verbum Patris, manifestata fuisset in carne, vt omnem hominem illustraret in mente, & prima dispensatione immediate

**Apostolis illuxisset, posita sunt per eos prima fidei fundamenta, sicut de ortu Domini, quasi de lapicidina totius Ecclesiæ sunt excisa: a quibus velut a clypeis aureis, ab ipso sole iustitiæ illustratis, secunda dispensatione diuini Verbi, Doctores Ecclesiæ quasi montes diuinæ speculationis altissimi splenduerunt. Qui, sicut exigebat errorum diuersitas, & suadebat veritas fidei inspirata; [2 Doctores,] de vtriusque Testamenti velamine intelligentiam in apertam notitiam educentes, quot libros, Spiritu sancto reuelante, scripserunt, quasi tot turres cum propugnaculis aduersus hæreticorum machinas fabricauerunt. Qui velut Ioseph prouidentiam imitantes, de veteris & noui Testamenti segetibus excussa frumenta diuini eloquij, quasi in quibusdam horreis, collegerunt in libris. Quæ cum non essent ita parata fidelibus, [Sacerdotes Ordinis Prædicatorum,] vt satores diuini seminis de facili educta de horreis in agro Dominico seminarent; prouidit Deus, vt tertia dispensatione Ordini Fratrum Prædicatorum diuini verbi fieret commissio: qui ab occiduis mundi partibus, in quibus corporale lumen solis occumbit, in suo Patre Dominico, qui ipsum instituit, diuinitus præuisus incepit. Cui concessum est, Spiritu edocente, de abstrusis fauis sacræ Scripturæ diuini eloquij mella exprimere, & vtiliora fidelibus, quasi fructum nuclei de testa difficilioris litteræ, per apertiore intelligentiam demonstrare: & de Doctorum libris, quasi repletis horreis educta frumenta & cribrata subtilius, vtiliora iterum in libris colligere, quo facilius possent per lucidiorem doctrinam fidelibus provenire. Hic est ordo stellarum manentium in voto professionis obedientiæ, quæ aduersus Sisaram, id est, hæreticorum aciem pugnaverunt: [instar stellarum splendentes:] quæ vocatæ dixerunt, adsumus ad nutum præcipientis Ecclesiæ, ad destructionem prauitatis hæreticæ, & diffusionem lucidæ & elimatæ doctrinæ. [Iud. 4, & 5] Qui vt promissum acciperet vsque ad finem seculi perdurandi ei & eius Patri, qui ipsum instituit, Prophetice dicitur: Spiritus meus,**

qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui amodo & vsque in sempiternum. [Is. 59, 21] Quod verbum prædicationis cum in hac vita in fine mundi cessauerit; in laudis præconium in futura transibit. Vnde & prædictus Ordo in similitudinem matutini & vespertini sideris conuenienter accipitur, quia inter Ordines mendicantium in principio prædictæ illuminationis, institutione & prædicatione primus apparuit, & vltimus pro testimonio fidei prædicandæ manebit.

[2] De prædicto autem stellarum Ordine, id est Prædicatorum, [vbi maior stella S. Thomas de Aquino:] oportebat luminare aliquod præ ceteris diuinitus præfulgere doctius, & ideo de ipso præ alijs clarior Doctor præfulsit Ecclesiæ, & qui velut stella splendida & matutina in aurora prædictæ illuminationis apparuit, & quasi Hesperus serotini temporis vsque in finem seculi mundum illuminans in suis libris pro fidelium illuminatione remansit. Hic est Frater Thomas de Aquino Fratrum Prædicatorum Ordinis, de nobili Comitum genere, de domo Aquinorum; de regno Siciliae genitus, amplius morum, vitæ & scientiæ claritate conspicuus, quam genitorum nobilitate præclarus. De quo Doctore futuro mirabili vt præsciretur diuinitus, quantum luminis natus mundo splendorem effunderet; præmonstratur de matris vtero nasciturus, antequam mater eius sciret, [ab eremita prædictus:] quod in vtero suo esset in veritate conceptus. Cum enim mater eius Domina Theodora, tam morum quam genitorum claritate conspicua, esset in castro Rocchæ-Siccæ in confinio regni Siciliae & e Campaniæ, venit ad eam in spiritu vir, Bonus nomine, melior vita & religione, qui diu in monte dictæ Rocchæ cum pluribus alijs eremiticam duxerat vitam; qui Sanctus reputabatur ab hominibus regionis illius, & dixit: Gaude Domina, quia es prægnans, & paries filium, quem vocabis Thomam: & tu & vir tuus cogitabitis eum facere monachum in monasterio

montis Casini, in quo corpus S. Benedicti quiescit, habentes spem ad magnos ipsius monasterij reditus peruenire, per ipsius filij vestri apicem & prælaturam: sed Deus de ipso aliter ordinabit, quia erit Frater Ordinis Prædicatorum, tantæ claritatis in scientia & sanctitatis in vita, quod in mundo sibi similis suo tempore non poterit inueniri. Cui respondit prædicta Domina: [nascitur:] Non sum digna parere talem filium, faciat Deus suæ placitum voluntatis. Quod totum vt propheticè dictum fuerat, est veraciter adimpletum. Nam statim secuta est apparens matris fœcunditas; natæ prolis iocunditas, cum impositione prædicti nominis, sicut continebat prædicta series visionis, vt non dubitaretur cuncta impleri in puero, quæ prædicta fuerant in promisso.

[3] Et quia præmonstranda erant in puero diuinitus præsagia futuræ etiam corporalis vitæ custodiæ, qui præseruandus erat in mente; prætereundum non reputo, quin & illud scribatur, [in tempestate seruatur.] quod in suæ vitæ principio dicitur diuinitus accidisse. Nam in dicto castro, cum subito horrenda tempestat fuisset exorta in aëre, fulgur turrim concussit, & Sororem dicti pueri, quæ dormiebat in turri, & equos, qui erant in stabulo, interemit. Mater vero, quæ de puero magis, quam de filia erat sollicita, ad lectum, in quo nutrix cum puero dormiebat, tremebunda peruenit, quæ sanum ipsum cum nutrice inueniens, Deo gratias reddidit: qui paullatim in puero complere, quæ promiserat, inchoabat.

[4] Signa etiam arbitror crebra retinenda memoria & indelebili notanda scriptura, quæ in prædicti pueri ostensa annis infanticæ, præsagia videntur fuisse totius in eo gratiæ diuinæ futuræ. Nam contigit prædictam matrem suam in ciuitate Neapoli ire ad balneum cum alijs Dominabus, & prædictum cum ea portari filium per nutricem. Quem cum nutrix posuisset in consueto loco balnei ad sedendum, puer chartulam paruulam diuinitus

repertam in eodem loco, [Chartulam continente Aue Maria puerulus detinet manu clausa:] nullo vidente, suscepit. Nutrix autem cum vellet ipsum exuere, & eius manum, in qua tenebat chartulam aperire, puer cœpit fortiter eiulare: cui nutrix compatiens, clausam manum habentem puerum balneavit, abstersit & induit, ac ad domum vna cum matre clausam tenentem manum portauit. Cuius mater cum clausam manum aperisset filij, quantumcumque puerulus eiularet, reperit in manu eius chartulam nihil aliud continentem, nisi Aue Maria, Salutationem Virginis gloriosæ. Conueniens enim fuit diuinæ providentiæ, vt præmonstraretur in puero, quod futurum erat postmodum in Magistro, vt præsciretur, quam salutarem doctrinam iam vir sanctus deberet effundere, quem chartulam continentem nostræ salutis initium, non nisi diuino ductum Spiritu, contigit inuenire. Ex tunc vero inolevit puero prædicto mirabilis consuetudo diuinitus indita, non ex frequentia actus similis acquisita: quod, quoties, puer ex quacumque causa in fletum incideret, nullo nutricis applausu a fletu quiesceret, donec chartulam scriptam puer gemebundus haberet: quam acceptam statim in ore ponebat. Vbi diuinitus præmonstrabatur in puero, quam discreta ruminatio Scripturarum in ipso debebat præcedere, quas legendo disceret: & quantum saporem dulcedinis Doctor sensurus erat, dum disceret: ac quantum alijs gustandum relinqueret, dum scribendo dictaret: vt videretur esse quasi miranda quædam apis docta diuinitus, quæ de diversis floribus Scripturarum volatu studij verba mellea diuinæ scientiæ, quasi in fauis, in suis libris colligeret, & exprimenda toti Ecclesiæ ore doctissimo in suo alueario sigillaret. Hic est, cui de manu Angeli liber porrigitur, quem præ meditatione discretionis quasi masticando, sicut Ezechieli mandatur, comederet: & pro velocitate inueniendi, quæ disceret, sicut in Apocalypsi Ioannis dicitur, deuoraret: quia in libro veteris Legis, quasi masticatione discernendus fuit sensus a littera: in nouo

vero diuina sacramenta fidei sic manifeste fuerunt proposita, veluti statim aperto animi ore voranda, in quibus sufficienter eruditus Doctor iste mirabilis, infusa luce nouit vetera, quasi comedendo discernere, & noua deuorando monstrare.

[5] Deinde parentes eius puerum faciunt cum omni diligentia enutrir, vt puerum mirabilem, quem prophetia promiserat, [quinquennis Casinum missus,] & gratia tam manifesta monstrabat. Quem sic enutritum libenter Deo offerunt, & quinquennem ad monasterium prædictum montis Casini per nutricem cum bona societate transmittunt, in quo instrueretur sanctis moribus, diuinis illuminationibus præparandus. Hoc diuino ordinante consilio, ne tam vtile luminare Ecclesiæ moriretur in tenebris, & tam spectabile sanctitatis exemplar noxijs nutrire moribus cum mundanis: quod totum ex fidei narratione matris est habitum, quæ etiam exemplis sanctitatis claruit, & vitam cum laudibus felici morte finiuit. Cum autem prædictus puerulus cœpisset in dicto monasterio sub disciplina Magistri diligentius educari, [pijs moribus educatur:] ad futuri profectus indicium in ætate tam tenera & scibilium nescia, qui necdum se scire poterat, miro modo Deum adhuc nesciens, diuino ductus instinctu scire quærebat. De quo futurum erat, vt, dum sic anxius maturius Deum præ alijs quæreret, [primus litterarum rudimentis instruitur:] clarius præ ceteris, quæ scire futurus erat, scriberet, quæ de Deo, ipso donante studiosius & citius inueniret. Paruulus adhuc a nobilium puerorum consortio, qui ibidem nutriebantur in moribus, vt moris erat patriæ, se frequentius absentabat: habens in manu chartulam, continentem in scripturis prima addiscentium puerilia rudimenta. Erat autem prædictus puer non verbis garrulus, sed meditari intra se iam incipiens taciturnus: non dissolutus & vagus discursibus, sed ab omni puerili leuitate quietus, & vt ostendere adhuc poterat, in oratione deuotus: vt iam in eo novitia

**ætas ostenderet, quæ postmodum provecta monstraret. De quo cum prædictæ matri diceretur, ad gaudium mirabatur de puero, conferens in corde suo, & sperans impleri in filio, quæ prædicta fuerant Spiritu pronuntiante diuino.**

**[6] Abbas autem prædicti monasterij prouidus, cum aduerteret in puero tam certa & matura futuræ perfectionis indicia, [Neapoli studet litteris humanioribus & Philosophicis,] & clara iam prænuntia semina futuræ segetis Scripturarum, aduocato Domino Landulpho patre prædicti pueri, prouide ei consuluit, vt puer mitteretur Neapolim ad studendum: vbi studens inciperet addiscere quæ Deus tot indicijs inceperat preemonstrare. Vnde puer de vtriusque parentis consilio Neapolim mittitur, & sub Magistri Martini in grammaticalibus & logicalibus, & Magistri Petri de Ibernica studijs in naturalibus edocetur. In quorum scholis tam luculenti cœpit esse ingenij, & perspicacis intelligentiæ, vt altius & profundius & clarius alijs audita repeteret, quam a suis Doctoribus audiuisset. Et quod congruum erat Diuinæ prouidentia, præsentia futuræ doctrina, quæ cœperat demonstrare, per gratiam, quam effudit, non destitit de iuvene prædicto continuare. Nam cuidam Fratri Ordinis Prædicatorum, admiranti de præfati iuuenis admiranda scientia, [radio solari illustratur,] de ipso subscripta apparuit visio, quod de eius facie splendor procederet quasi solarium radiorum, qui in longinquum omnium illuminaret aspectum. Quæ visio tribus vicibus eidem Fratri apparuit, & futuri effectus certitudinem indicauit.**

**[7] Cumque mirabilis iuuenis tam festinus profectus scientiæ, qui diuinæ potius, [ingreditur Ordinem Prædicatorum.] quam humanæ videbatur esse virtutis, Magistros & alios in admirationem adduceret, & per scholas celebris eius fama volaret, cogitans prædictus iuuenis, (qui eodem spiritu agebatur adultus, quo**

prophetatus fuerat nasciturus) quod poterat sibi esse damnabile, si commissum ei talentum naturalis ingenij, dono gratiæ spiritus augmentatum, sub terra velut sudario neglectioris vitæ absconderet, quod poterat per transitum ad aliquem Ordinem augmentare; ductus est ad Fratrum Prædicatorum Ordinem, diu cordis desiderio affectatum, eo duce, quo fuerat prophetica visione prædictum. Fr. Ioannes de S. Iuliano prædicti Ordinis, fama & opinione præclarus, diuinæ vocationis ipsius diuinitus executor effectus, prædictum iuuenem a Deo sibi destinatum monuit, & ad ingressum prædicti Ordinis mente dispositum inclinavit, vt hic iuuenis vellet perficere, quod Deus de ipso dignatus fuerat præmonstrare.

### Annotata

Tunc temporis Prior, vti legitur in Vita apud Maluendam sub nomine Guilielmi de Thoco, additque Thomam in ætate habentem circa 14 annos receptum. At Bernardus Guidonis ista adiungit: Habitum Ordinis contulit & induit vir per omnia laudabilis & deuotus Frater Thomas Agni de Lentino, [Thomas Agni de Lentino.] tunc Prior Neapolitanus, qui fuit Archiepiscopus Cusentinus, & idem translatus factus fuit sanctæ ciuitatis Hierusalem Patriarcha. Hæc ibi. Archiepiscopus creatus anno 1268, Patriarcha 1272, mortuus anno 1276. Vitam S. Petri Martyris edidit. Guidonem descriperunt S. Antoninus & alij. Melius auctor noster ab omnibus his, vt non omnino certis, abstrahit. De anno ætatis supra actum.

### CAPVT II.

#### Captiuitas S. Thomæ. Variæ tentationes in custodia superatæ.

[8] De cuius ingressu admirati sunt nobiles ciuitatis, quod tam nobilis iuuenis, parentum domum desereret, & tam

clarum principium, [Ne mater, vt male credebatur obsesset,] quod prognosticum erat futuræ promotionis indicium, sub habitu pauperis Ordinis occultaret. Fratres ergo prædicti Ordinis exultauerunt in Domino, tam nobilem & mirabilem iuuenem eis esse diuinitus destinatum, quem iam sperarent certis indicijs ad magnum scientiæ apicem peruenturum. De quo cum ad Vasallos parentum eius Rocchæ prædictæ relatione veridica peruenisset, & per eos cum lacrymis fuisset eius matri querelosis vocibus intimatum; illa statim assumpto suorum honorabili comitatu, memor promissionis propheticæ, quam in filio suo videbat impleri; cum gaudio venit Neapolim, volens eum, in prædicto præuiso sibi diuinitus Ordine, maternis monitis confirmare. Fratres autem ignorantes bonæ matris tam ordinatum affectum, quem credebant materna affectione turbatum, de custodia tam pretiosi recommendati thesauri solliciti, prædictum iuuenem a Terracenam, inde Anagniam, & vsque Romam ad conuentum S. Sabinæ cum convenienti Fratrum societate miserunt. [mittitur Romam, & Parisios:] Quem sollicita mater prosequens, quæ materna affectione perurgebatur, & vsque Romam veniens, tanti laboris fructu & talis filij desiderata visione priuatur. Fratres autem supra vires maternalis animi credentes matrem affectum alium non habere, tantam supra iuuenem apposuerunt custodiam, vt ipsum de Roma sine captionis timore deducerent, & eum mittendum Parisios cum bona Fratrum societate fugarent.

[9] De hoc autem mater turbata, quod filium videre non poterat, [iussu matris offensæ] & quod de tam ordinato affectu suo Fratres multis eius assertionibus non credebant; victa in eius animo promissione fidei, affectione corporali ad filios suos, qui erant cum Frederico Imperatore in castro Aquæ-pendentis Tusciæ regionis, misit nuntium specialem, mandans eis sub maternæ benedictionis obtentu, quod Thomam filium

suum, at fratrem eorum, quem Fratres Prædicatores induerant sui Ordinis habitum, & de regno fugabant, in suis haberent manibus, & ipsum sibi sub bona custodia destinarent. Qui maternum volentes implere mandatum, [a fratribus captus,] & propriæ affectionis monstrare conceptum, coram Imperatore exposito iussu matris, & accepta licentia, per vias & stratas miserunt custodias. Et contigit eos prædictum fratrem suum iuxta cuiusdam fontis irrigua quiescentem cum quatuor Fratribus dicti Ordinis inuenire: in quem cum non vt fratres, sed vt hostes irruerunt, non valentes ipsum exuere prædicti Ordinis habitum, quem fortiter tenebat assumptum, & præcipue ne iuuenis periculum aliquod propter illam iniuriam turbatus, incurreret; dimissis alijs Fratribus, ipsum sic indutum matri suæ sub bona custodia transmiserunt. Quem mater cum vidisset cum gaudio, [detinetur sub custodia:] nec posset ipsum inducere ad prædictum habitum deponendum, fecit ipsum custodiri sub bona custodia in monte S. Ioannis & Rocchæ prædictæ vsque ad reditum filiorum. Interim tamen per diuersa fecit moueri eum, volens experiri, si promissio vera esset prophetica, quam tentatio mutaret humana. Fratres autem, quibus fuerat a mundana potentia de ipsorum manibus tam pretiosa præda sublata, quasi de amisso Ioseph plurimum turbati, ad Summum Christi Vicarium Innocentium Papam quartum, [interposita Innocentij IV auctoritate,] qui tunc erat in Tuscia, quasi ad alterum Patriarcham Iacob, cum gemitu accesserunt. Coram quo querela proposita, quod de mandato Imperatoris tantus excessus contra Ordinem esset permissus, & quod carnalium fratrum affectio, quasi fera pessima, deuorasset Ioseph; Summus Pontifex perturbatus, quod quasi in eius prouincia tantus excessus fuisset commissus, mandauit prædicto Imperatori, qui erat in regione propinquus, quod faceret de raptoribus dignam pro conuenienti satisfactione vindictam. Qui metuens Summi Pontificis indignationem incurrere, si non studeret

**excessum per iustitiam emendare de personis, fecit capi prædictos fratres Thomæ germanos. Contra quos requisiti Fratres prædicti Ordinis, si vellent querelam ponere de illatis iniuriis; timentes ex hoc Ordini scandalum, & suis conscientijs imminere periculum, a proponenda querela penitus destiterunt, maxime cum audissent prædictum iuuenem constanter tenere habitum, etiam in carcere custoditum.**

**[10] [perlegit Biblia:] In tali autem carcere iuueni diligentius coarctato, quamuis privato lumine & exitus libertate, lumen ei in tenebris affuit, & in vinculis plus libertatis inuenit. Qui dum arctabatur in corpore, soluebatur in mente: cui intantum spiritualis intelligentiæ radijs Deus miserator illuxit, quod ibi Bibliam perlegit, & textum sententiarum didicit, & tractatum fallaciarum Aristotelis, vt dicitur, copulauit; atque sorores suas sacras litteras pro praesagio sui magistratus instruxit. Qui iam incipiens sua fructificare doctrina; suam sororem, quam ad eum seducendum parentes miserant, ad amorem Dei & contemptum mundi suis monitionibus & exemplis induxit. [sorori persuadet ingressum in monasterium:] Quæ habitum religionis S. Benedicti accipiens, propter probitatem & vitæ meritum regimen monasterij S. Mariæ de Capua electa & confirmata suscepit. Interea deuotus iuuenis, vt certam faceret per bona opera suæ vocationis electionem per gratiam Dei; sic orationi, contemplationi, & lectioni totaliter se donauit, quod nullis persuasionibus, tentationibus, minis, quibus aliquando grauium personarum corda consueuerunt allidi, eius animus potuit immutari: imo plus roboris ex impugnatione collegit, quo plures ictus certaminum impugnatus accepit. Quem cum fratres sui post reditum grauius impugnarent, tentauerunt per iniurias perturbare, quem per terrores non poterant frangere, nec persuasionibus emollire. Vnde fecerunt sibi dilaniari habitum prædicti Ordinis, vt præ verecundia dilaniatum deponeret, & alium indueret, qui placeret ei.**

**Qui cum illatam iniuriam patientissime tolerasset, [a fratribus varie oppugnatur:] quasi Christum induisset in dicto habitu, illius semicinctiis se inuoluit; nihil minus se induisse arbitratus, si dilaniatum teneret habitum, qui integrum tenebat ex deuotione susceptum.**

**[11] Qui cum propter dictam iniuriam non possent ipsum evertere, [lascivam puellam immissam titione fugat:] cogitauerunt per aliud genus impugnationis euincere, quo turres concuti, saxa molliri, & cedri Libani consueuerunt tempestate suffodi. In quo cunctos inuenimus pugiles; sed paucos præ difficultate victores. Nam miserunt ad ipsum solum existentem in camera, in qua sub tali custodia dormiebat, puellam pulcherrimam, cultu meretricio perornatam, quæ ipsum aspectu, tactu, ludis, & quibus posset alijs modis, alliceret ad peccandum. Quam cum vidisset pugil inuictus, qui sibi iam Dei sapientiam sponsam acceperat, cuius amore flagrabat; & sentiret in se carnis insurgere stimulum, [ab Angelis cingitur:] quem semper tenuerat sub ratione subiectum (hoc permittente providentiæ Diuinæ consilio, vt gloriosior de certamine sibi triumphus exurgeret) accepto de camino in spiritu titione, iuenculam cum indignatione de camera expulit, & accedens in spiritus feruore ad angulum cameræ, signum Crucis in pariete cum summitate titionis impressit: & prostratus ad terram, cum lacrymis a Deo petiuit orando perpetuæ virginitatis cingulum, quod seruare sibi in pugna concesserat incorruptum. Qui cum hæc orando cum lacrymis subito obdormisset, ecce ad eum duo Angeli cælitus missi sunt: qui asserentes eum a Deo exauditum, & de pugna tam difficili obtinuisse triumphum, stringentes ipsum hinc inde in renibus, dixerunt: Ecce ex parte Dei te cingimus, quod petuisti, cingulo castitatis, quod nulla poterit de cetero impugnatione dissolui, & quod humanæ virtutis haberi non potest ex merito, tibi conceditur diuinæ largitatis ex dono. Cuius cinguli in se numquam sensisse fracturam certus fuit, vt dicetur inferius suorum**

**Confessorum in obitu attestazione compertum. Nam suam virginitatem, quam in tam graui pugna seruauit inuictam, vsque ad suum obitum sentire non potuit violatam. Vnde ex tunc mulierum aspectum semper abhorruit, & earum consessum, colloquium, [dein Virgo permansurus:] & conuictum toto posse vitauit. Consueuerat autem ex hoc admirari quamplurimum, & homines diuinis speculationibus deditos assuetus erat arguere, quod diutius possent consedendo mulieribus tempus longis locutionibus perdere, nisi aliquod negotium nimis vtile causa necessitatis occurreret; vel de Deo, aut de diuinis locutio immineret. In qua constrictione Angelici tactus cum dolorem sensibilem percepisset, excitatus est cum clamore, & quærentibus, ad quid clamasset, reuelare noluit donum diuinitus sibi datum, sed manifestandum vsque ad suum obitum conseruauit occultum. Quod tamen suo socio Raynaldo reuelauit, qui ad laudem Dei & reuelationem Sancti, [Rainaldo socio postmodum indicat,] pluribus reuelauit ad exemplum. O felix clausura carceris, in qua tantus intelligentiæ splendor illuxit! o salutare compedes, qui tot contulerunt contemplanti cælestia libertates! o felix ex victoria, fortis in pugna tentatio, quam cum hostis concludere conabatur ad casum, surrexit diuina assistentia in triumphum! o expressa matura indicia meritorum sanctitatis & vitæ, vt ex vtraque parte vitæ sensibilis impugnatus, pugil inuictus; hinc delicijs, inde iniurijs, nec emolliri potuerit nec allidi. O virilis pugil, & inuictus tyro, qui antiquo familiari deuicto satellite, de tam difficili pugna insolitam reportauit victoriam: dignus de cetero reportare coronam! o felix viator & hospes seculi, qui factus est ex victoria ciuis cæli, qui suos videre meruit diuina dispensatione conciuēs: cui Angelica societas, dum castitate cingitur, non negatur, qui meruit fieri puritate Angelicus, dum pugnauit de sua virginitate terrenus.**

[12] Et quia hæc omnia circa prædictum iuuenem diuinæ dispositionis agebantur consilio, nec erat relinquendus a Fratibus de Ordine raptus, [accipit alias vestes in custodia:] qui erat diuina miseratione in tam graui tentatione seruatus, aliquando Ordini prophetica promissione reddendus; non destitit dictus Fr. Ioannes de S. Iuliano ipsum in carcere visitare, quem tantam audiuerat in pugna seruare constantiam, & tantam in moribus disciplinam. Hic enim Reuerendus Pater eundem amorem, quem recipiendo ad Ordinem ipsum conceperat, sub spe, quod restitueretur aliquando Ordini, in mente seruabat. Cui occulte tunicas deferebat indutas, quas ei in camera se expolians dimittebat, ne iuuenis tandem defectum pateretur in corpore, qui tanta virtute roborabatur in mente. Sic fere per duos annos custoditus in carcere, [intra 2 annos per fenestram dimissus venit Neapolim.] ostendit ex suæ mentis constantia quantus futurus erat in vita: cuius dum prouida mater sua vidit, quod deberet impleri in filio, quod per eremitam prædictum fuerat Spiritu reuelante diuino; ne videretur non tam iuuenis constantiam, quam Dei prouidentiam impugnare, dissimulata prudenter custodia, permisit ipsum de fenestra per funem deponi: vbi parati Fratres susceptum cum gaudio Neapolim duxerunt, exultantes in Domino, de recuperato Ioseph, qui velut ille spiritum intelligentiæ habuit, & plus omnibus Ægypti Sapientibus intellexit. Quem sic Fratres receperunt instructum de carcere, quasi diu mansisset in studio scholasticæ disciplinæ.

### Annotata

Terracina & Anagnia notæ in dicta Campania Romana hodierna vrbes. In diœcesi Terracinæ est Fossanova, vbi S. Thomas est vita functus.

Hinc hieme sequente, cum esset circiter 20 annorum, hæc contigisse arbitramur.

### CAPVT III.

#### Studia Coloniae sub S. Alberto Magno. Laurea Doctoralis. Theologia Parisijs prælecta.

[13] [Missus Romam, inde Coloniam:] Postquam vero. Fr. Thomas, sicut diuinitus Ordini deditus, sic fuit diuinitus restitutus; magna est Fratrum facta lætitia, visa subito prouisione diuina: qui cogitantes nec esse tutum tam nobilem iuuenem retinere in suorum natalium regione, quamuis parentes eius & Fratres sui visa eius constantia ab eius impugnatione cessassent, ipsum Romam ad Capitulum generale miserunt: in quo prouideretur ei propter spem futuri profectus in proximo de studio generali. Quem cum Frater Ioannes Teutonicus, Magister Ordinis in carissimum in Christo filium suscepisset, duxit ipsum Parisios, & deinde Coloniam: vbi sub Fratre S. Alberto Magistro in Theologia eiusdem Ordinis florebat studium generale: [studet sub S. Alberto Magno:] qui reputabatur in omni scientia singularis. Quo cum peruenisset prædictus iuuenis & audiisset in omni scientia profunda & miranda docentem, gavisus est se cito inuenisse quod quæreret: a quo haurire posset avidus, quod sitiret. Qui vt ostenderet, quia ad hoc tendebat, quo venerat; cœpit miro modo taciturnus esse silentio, in studio assiduus, in oratione deuotus, interius colligens in memoria quod postmodum effunderet in doctrina. Qui cum sub velamine miræ simplicitatis taciturnus asconderet, quidquid a Magistro addiceret & quod Deus ei miseranter infunderet; [bos mutus appellatur:] cœperunt eum Fratres vocare Bouem mutum, ignorantes de eo futurum in doctrina Magistrum. Verum vtiliter sibi & alijs quasi mutus ab exteriori erat eloquio, vt cum suis cogitationibus loquacior fieret in secreto, vt inde habitum scientiæ tacens citius colligeret, quem nulla

exterior locutio impediret. Cumque sic taciturnus proficeret, cuius profectum opinio humana nesciret, cœpit Magister Albertus librum de Diuinis nominibus S. Dionysij legere, & prædictus iuuenis lectionem attentius audire. Cui cum quidam studens, ignorans quanta virtus intelligentiæ in ipso lateret, ex compassione ad repetendam ei lectionem se voluisset coniungere; ipse vt humillimus grates referens, acceptauit: qui studens cum cœpisset repetere, & tamen deficeret; prædictus Thomas, quasi iam a Deo accepta licentia, lectionem distincte repetijt, & multa, quæ Magister non dixerat, repetendo suppleuit: de quo studens admirans, rogauit, vt deinceps Fr. Thomas lectiones repeteret, & sibi in hoc pro gratia mutuæ vicissitudinis responderet. [at cognita doctrina eius,] Quod cum humiliter promisisset, rogauit, ne alijs reuelaret, vt ipse adhuc absconditus in sua simplicitate maneret. Qui cum hoc promitteret, grauiter tamen se arguens si taceret, indicauit Magistro studentium inuentum in dicto iuvene sapientiæ inopinatæ thesaurum. Qui cum occulte loco repetitionis se ingerens, eius sufficientiam, plus quam a studente audiuerat, percepisset, Magistro Alberto profectum studuit indicare discipuli pro consolatione Magistri. Contigit etiam illis diebus dictum Magistrum disputare difficilem quæstionem, quam cum Frater Thomas recollectam scripsisset in schedula, & quidam studens casu ipsam ante eius cellam inuentam cum gaudio Magistro ostendisset, legens ipsam Magister, & furtum studiosi admirans discipuli, aduertit in ipso tam diutinum silentium, cum tanta simplicitate & puritate conversationis & vitæ, alicuius magnæ & occultæ gratiæ non carere priuilegio. [a S. Alberto Magno bos esse confirmatur,] Vnde mandauit Magistro studentium, vt quæstionem satis difficilem ei committeret, de qua in crastino responderet: quam cum ex humilitate nollet recipere, ex necessitate obedientiæ paruit. Vnde ad consuetum locum orationis se conferens, & ad primum

actum inchoandum scholasticum Deo humiliter se commendans, ad respondendum de quæstione, prout diuino adiutus auxilio potuit, in scholis in crastino se parauit. Vnde cum repetitis argumentis Magistri præmisisset quamdam distinctionem, & ad argumenta sufficientissime responderet, prædictus Magister ei dixit: Frater Thoma, tu non videris tenere locum respondentis, sed determinantis. Cui cum omni reuerentia respondit: Magister non video qualiter possim ad quæstionem aliter respondere. [cuius esset mugitus per orbem audiendus:] Tunc Magister dixit: Modo respondeas ad quæstionem per tuam distinctionem: & fecit ei quatuor argumenta tam difficilia, quod omnino se eum crederet conclusisse. Ad quæ cum Frater Thomas sufficientissime respondisset, fertur Magistrum Albertum dixisse per spiritum prophetiæ: Nos vocamus istum bouem mutum; sed ipse adhuc talem dabit in doctrina mugitum, quod in toto mundo sonabit. Quod dictum propheticum est veraciter adimpletum: nam in toto mundo, dum inter fideles eius doctrina diffunditur, Ecclesia eius vocibus edocetur. Iuuenis autem, qui cor suum in humilitatis fundauerat pavimento, ex tanti Magistri testimonio, & ex tam honorabili actu scholastico non erexit in superbiam animum, nec mutauit solitæ simplicitatis exemplum: eundem modum viuendi seruans in posterum, quem tenuerat inchoatum, quamuis prædictus Magister omnes difficiles actus scholasticos ipsi committeret, quem sufficientiorem alijs inueniret. Posthæc autem prædictus Magister Albertus cum librum Ethicorum cum quæstionibus legeret, Frater Thomas Magistri lecturam studiose collegit, & redegit in scriptis opus, stylo disertum, subtilitate profundum, sicut a fonte tanti Doctoris haurire potuit, qui in scientia omnem hominem in sui temporis ætate præcessit. Et bene congruit Prouidentia Diuinæ consilio, vt a lectione libri de Diuinis nominibus prædictus Frater Thomas acciperet a Deo loquendi & se manifestandi licentiam, cui concessurus

erat sui nominis manifestare doctrinam; & vt a Dei nominibus Diuinæ notitiæ lectionem acciperet, quam vsque in finem vitæ legendo perficeret, quam scribendo etiam moriens non taceret.

[14] Nec vacat a commendatione discipuli, si aliquid subiungamus de commendatione Magistri. Erat prædictus Magister Albertus in omnibus scientijs singularis excellentiæ: [Alberto Magistro in doctrina & vita sancta similis,] de quo cum Summus Pontifex præuidisset, Ratisponensi Ecclesiæ ipsum præficiens in Pastorem; ipse honoris & oneris renuntians dignitati, præelegit vitæ contemplatiuæ & meditationi scibilium magis in Prædicatorum Ordine, de quo assumptus fuerat, quietus intendere, quam oneratus Pastoralis curæ negotijs deservire. Qui quolibet die in oratione in sua cappella dicebat vnum Psalterium, reliquum tempus reseruans ad scibilia meditandum, vt mirandus Magister simul scientiæ studium, & vitæ discipulis præberet exemplum. De quo etiam dicitur, quod miraculis claruit, quæ eius vitæ meritum præmonstrauerunt: cuius corpus prae deuotionis gratia requisitum, quod in tumba positum fuerat, vt est consuetudo, supinum, inuentum est, vt sibi moris erat dum vineret, quasi in oratione recumbens: cui cito diuinum discipulum diuinus Spiritus in vtroque mirabiliter adæquauit, sicut eius vitæ ostendit meritum, & lucens omnibus scientijs documentum.

[15] Post hæc autem cum Frater Thomas sic mirabiliter in scientia & vita proficeret, [eius instinctu, iussu Generalis sui,] & Magistro Alberto ex commissione Reuerendi Patris, Fratris Ioannis Magistri Ordinis incumberet, vt Parisiensi studio de sufficienti Bacellareo prouideret; Magister prædicti sui discipuli præuidens velocem in doctrina profectum, persuasit per litteras prædicto Magistro, [Baccalaureus creatus Parisijs docet Theologiam,] vt de Fr. Thoma de Aquino pro Bacellareo in prædicto studio

proouideret, describens eius sufficientiam in scientia & vita. Quem cum non statim duceret acceptandum, adhuc sibi in gratijs ignotum; suasu Domini Hugonis Cardinalis eiusdem Ordinis, cui erat de ipso per litteras intimatum, prædictus Magister ipsum in prædicti studij Bacellareum acceptauit; scribens ei, vt statim Parisios se conferret, & ad legendum sententias se pararet. Qui præ humilitate de se semper humilia sentiens, hanc promotionem voluisset renuere, nisi oportuisset Magistri litteris obedire. Factus autem Bacellareus, cum cœpisset legendo effundere, quæ taciturnitate deliberauerat occultare; Deus tantam ei infudit scientiam, & in labijs eius tanta diuinitus est effusa doctrina; vt omnes etiam Magistros videretur excedere, & claritate doctrinæ Scholares plus ceteris ad amorem scientiæ prouocare. Erat enim nouos in sua lectione mouens articulos, nouum modum & clarum determinandi inueniens, & nouas reducens in determinationibus rationes: vt nemo, qui ipsum audisset noua docere, & nouis rationibus dubia definire, dubitaret, quod eum Deus noui luminis radijs illustrasset, qui statim tam certi cœpisset esse iudicij, vt non dubitaret nouas opiniones docere & scribere, quas Deus dignatus esset nouiter inspirare. Vnde scripsit in Bacellaria & in principio sui Magisterij super quatuor libros Sententiarum opus, stylo disertum, [scribit in 4 libros Magistri sententiarum:] intellectu profundum, apertum intelligentia, & nouis articulis dilatatum: ad quarum determinationum rationem cum humanas scientias, quasi ancillas ad arcem diuinæ Sapientiæ in obsequium adduxisset, quas sacris sententijs concordaret; visus est humanas funditus intellexisse scientias, & summum gradum sui studij fixisse in sapientia diuinorum, quibus nouiter videbatur instructus, & gustu diuinæ Sapientiæ delectatus, quem iam Deus ducem suorum eloquiorum faceret: quem tanta repleuit scientia, vt alios illustraret. Nec absurdum videatur aliquibus, quod in Sapientiæ Diuinæ sententijs, saecularibus quis vtatur

scientijs, cum ab eodem intellectu diuino obiecta omnium scientiarum prodeant, a quo diuinæ Sapientiæ veritates emanant, cui omnes scientiæ iuris deseruiunt, a qua & humanitus acquisita procedunt.

[16] Et quia tam splendidum luminare, quod misericors Deus in mundi vespera fidelibus voluit mittere, ab ipso quasi mundi principio debuit præmonstrari; ideo in veteri Testamento prædicti Doctoris multiplex figura non defuit, quæ præsignaret diuinitus qualis fuit: vt sic nouæ Legis fructus temporibus vltimis in figuris prænuntiaretur antiquis; & Deus, dum in præsentibus implet præterita, ad se ostendat pertinere futura. Vnde hic Doctor mirabilis dici potuit esse præuisus in Isaac filio Abrahæ; [comparatur Isaac,] qui cum ad agrum Scripturarum ad vesperum senescentis Ecclesiæ ad meditando egreditur, sicut ille Rebeccam, sic iste in Sponsam Dei sapientiam habere meretur, per quam sicut deposita hydria seruo Abrahæ, etiam camelis, potus tribuitur; sic per huius scientiam, quasi hydriam, cunctis fidelibus aqua diuinæ sapientiæ mira felicitate donatur. Dicitur hic congrue Iacob, [Iacobo,] qui post luctam deuicti certaminis, & acceptam de rore cæli benedictionis dulcedinem, ad puteum perueniens Scripturarum, hausit quasi Rachelis ouibus, id est, Christi fidelibus, poculum, & ipsam Rachelem Dei sapientiam habere meruit, quam aspiciens concupivit, obtinuitque Angelica in sponsione Israëlis vocabulum, postquam de Diuinis Scripturis habuit clarum veritatis aspectum. Hic vt Iacob super Petram Christum, dum per humilitatem quieuit subditus, fieri meruit meditatione supremus: vnde vidit in somnis scalam, per quam ad summam veritatis notitiam debebat ascendere, cælum attingere, & Angelos ascendentes per scalam, qui orantis Thomæ Deo offerrent oracula; & descendentes, qui contemplanti reuelarent diuina in veritate secreta; & Dominum innixum scalæ, qui prædicto Doctori ostenderet se inspirasse scientiam, & acceptare

doctrinam. Quod bene per modum scalæ componitur, quia in ea semper aliquod notum principium, & quasi quibusdam gradibus, congruis propositionibus, conclusio veritatis infertur. Hic est ille Ioseph, [Iosepho,] qui dum Spiritu sapientiæ repletur in carcere, de ipso eductus meruit plus omnibus Ægyptijs diuina cognoscere, & de vtriusque Testamenti segetibus diuini eloquij frumenta in libris, quasi in horreis collecta seruare: qui, vt ille fratribus suis, primo frumenta diuini eloquij gratis eorum ingenijs tribuit, & toti Ecclesiæ postmodum de alimentis diuinæ Sapientiæ sine inuidia distribuenda providit. Appropriate autem & singulariter dici potest, quod hic fuit quasi alter ille Moyses, [Moysi,] qui de aquis mundanæ vanitatis eductus, quia de Aquinorum prosapia generatur, miro modo per Pharaonis filiam matri Ecclesiæ, cui tollitur, redditur, & vberibus diuinæ Sapientiæ lacte nutritur. Hic est Moyses, cui de rubo sub flammæ ignis similitudine Dominus loquitur, & hic quasi Deus locutus ei fuerit, edocetur: qui missus ad fratres suos, non sine signis admirandis & prodigijs, ductor populi delegatur. Hic est Moyses, qui, sub duplici columna nubis & ignis, fideles de Ægypti tenebris duplicis scientiæ habitu doctus eduxit: vt in columna nubea intelligatur scientia secularium scripturarum, quam sensibus acquisiuit; & in columna ignis lex illa ignea, quam ex dextera diuinæ largitatis, Deo reuelante, suscepit. Hic est Moyses, qui montem diuinæ speculationis ascendens, non sine diuini stylo digiti scribentis in eius animo, sub duarum tabularum similitudine duorum testamentorum scientiam de summa diuinorum speculatione portauit. Hic est iterum Moyses, cuius ex diuini sermonis consortio facies splendens efficitur, vt non possent filij Israël nisi velatis vultibus in ipsum aspicere: quem Deus decreuerat alijs illustrare, vt dum hodie quorundam facies velatæ permanent, ad huius Doctoris intelligentiæ faciem, aut cæca æmulatione aut ignorantia tenebris obscurati eorum aspectus intelligentiæ non pertingant. Hic est Moyses, qui facie ad

faciem Domino loquitur: qui diuina, quæ sibi Deus reuelare voluit, sic intellexit lucide, velut ænigmaticam illam Dei faciem in Scripturis vidisset aperte. Qui cum frequenter raptum a sensibus pateretur, supra humanum intellectum diuina vidisse creditur, quibus eius animus sorberetur: quorum magnitudine intellecta & scripta despiceret pro excellentia illorum, quæ vidisset: sicut circa finem suæ vitæ maxime paruit, cum præ reuelationis magnitudine a scribendo vltius præ stupore cessauit: quibus cum finem imposuit, admiranti de eius raptu socio mysterium reuelauit. Hic disputauit, vt Salomon a cedro, [Salomoni,] que est in Libano, vsque ad hyssopum, qui de pariete oritur, id est, a Dei filio, diuinitatis candore de Patre genito, vsque ad eundem de gloriosa Virgine cum corpore nostræ humanitatis assumpto: a quo sicut studium inspiratæ veritatis incepit, sic scribendi & videndi terminum in eo, qui scire & viuere dederat, felici morte finiuit. Vnum adhuc hic Doctor dici potest, quasi ille Thomas non dubius, [Thomæ Apostolo.] sed quasi certus in scientia diuinorum: qui dictus est abyssus propter profunditatem ingenij, vel qui abyssum in Christi latus inuitatus ingreditur, & ad scrutanda diuinorum secreta tam certa notitia sibi inspirata descripsit in libris, quasi ipsa haberet præ oculis, & quasi ipsa manu contingeret, quæ intelligentiæ digito indicaret: vt iam non restaret amplius, nisi vt supra intellectum, quantum homini erat possibile, in diuinitate ipsum conspiceret, quem supra alios ænigmatice didicisset. Sic autem mirandus Bacellarius Doctor futurus finiuit sententias; relinquens Scholares ad futurum eius Magisterium avidos, quos fecerat, dum doceret attentos: dilectus Deo, qui scientiam tribuit, & acceptus hominibus, quibus quasi nouis radijs veritatis illuxit.

[17] Post decursum studij fructuose completum, cum tempus instaret, quo Bacellarij Theologiæ erant Parisiensi Cancellario præsentandi; non seruato ordine secundum

anticipationem temporis consueti, mandauit prædictus Cancellarius Priori Parisiensi Ordinis Fratrum Prædicatorum, vt ex parte sua mandaret prædicto Fr. Thomæ, vt ad recipiendum Magisterium in Theologia, non obstante consuetudine qua erant sibi alij præferendi, sine contradictione aliqua se pararet. Qui humiliter se excusans propter defectum scientiæ & ætatis, obtinere quod excusaretur non potuit, propter præceptum obedientiæ, quod coëgit. Qui humiliter suscipiens onus impositum, [Creandus Magister in Theologia,] ad locum orationis se contulit: in quo prostratus cum lacrymis orauit Deum, vt ad suscipiendum & exequendum Magisterium, scientiam & gratiam dignaretur sibi infundere, quem dignatus adhuc fuerat indignum multis gratijs præuenire. Et incipiens Psalmum: Saluum me fac Deus, quoniam diminutæ sunt veritates a filijs hominum, diu orans cum lacrymis obdormiuit: & ecce ad eum nuntius cælitus missus est Frater quidam eiusdem Ordinis antiquus, admodum reuerendus, & dixit ei: Fr. Thoma, quid Deum oras cum lacrymis? [in somno, per visionem indicato themate, confirmatur:] Respondit: Quia impositum est mihi onus Magisterij, ad quod scientia mea non sufficit: & quod proponam pro meo principio, non occurrit. Cui senex dixit: Ecce exauditus es, suscipe onus Magisterij, quia Deus tecum est. Pro tuo autem principio nihil aliud proponas, nisi hoc: Rigans montes de superioribus tuis: de fructu operum tuorum satiabitur terra. [Ps. 103, 13] Quo dicto Frater Thomas euigilans, Domino gratias reddidit, qui eum velociter exaudiuit. Quod verbum non solum thema fuit principij, sed totius sui sufficientiam studij indicauit: quia ex his, quæ de montibus diuinæ speculationis accepit, totam Ecclesiam, quasi agrum diuini seminis complutum sapientiæ pluuijs satiauit. Est enim omnibus manifestum, quod in toto mundo inter fideles Catholicos in Philosophia & Theologia in omnibus scholis nihil aliud legitur, quam quod de eius scriptis hauritur: quamuis multi alij Magistri eius stylum scribendi,

quo potuerunt studio, imitantes, quasi ex eius scriptis clauem habentes scientiæ, ingressi sunt diuinorum secreta cellaria: & multa volumina scripserunt, suum exercitantes studium supra positum dicti Doctoris fundamentum: diuina dispensatione mirabiliter permittente, vt quicumque ab huius Doctoris scriptura volunt diuertere, contingat eos aut in fide aut moribus aberrare: vt sic, siue qui sequuntur commendent quod asserunt, siue qui detrahunt veritati, testimonium referant, quod a veritate discedant.

### **Annotata**

Anno 1245 habitum est Capitulum generale 23, quod tertium fuit sub Ioanne Teutonico. Nam an. 1243 habitum Parisijs, anno 1244 Bononiæ, & postea anno 1246 iterum Parisijs, de quibus ex Bernardi Guidonis Chronico agit Maluenda, omisso tamen Romano, quod in hisce Actis indicatur.

### **CAPVT IV.**

#### **Libri conscripti. Errores variorum confutati. Iudæi conuersi.**

[18] Post Magisterium prædictus Doctor cum cœpisset disputare & legere, [Habet plurimos discipulos, etiam dein creatos Doctores:] tanta multitudo scholarium eius scholas intrabat, vt vix eos locus scholarum caperet, quos tanti Magistri doctrina traheret, & ad proficiendi studium prouocaret. Sub cuius Doctoris lucida & aperta doctrina floruerunt quamplures Magistri religiosi & seculares propter modum docendi compendiosum, apertum & facilem: qui pro eo quod fuit insolitus, simul cum eius scientia creditur fuisse diuinitus inspiratus. Qui Doctor visus est quasi campum secularium scientiarum ingrediens, flosculos excepisse de sentibus, & plenam manum habere de Apostolicis cophinis fragmentorum

sacræ Scripturæ: quæ Deus mandauit Apostolis, ne perirent, colligere, & futuris Doctoribus componenda seruare. Qui de sacrorum Doctorum horreis plenis frumento, de vtriusque Testamenti excussis segetibus vtiliora collegit in libris, & nulla Scripturæ veritas remansit sibi abscondita, nec Doctoris cuiuscumque Scriptura inaccessibleis, inuoluta. De quo vt sciretur quantum donum scientiæ huius Doctoris lateret in corde, concessum est ei diuinitus, vt manifestaret in opere multiplici scripturarum. [scribit Summam Theologiæ,] Nam præter opus, quod fecit super quatuor libros Sententiarum, Summam fecit, quam distinxit libris, materias quatuor librorum aliter ordinans: quam cum pluribus articulis ampliavit subtilioribus rationibus, ipsas determinans Sanctorum auctoritatibus. Scripsit etiam librum, qui intitulatur Contra Gentiles, [contra Gentiles,] stylo disertum, & rationum nouitate & subtilitate profundum: in quo miro modo ostendit, quod ex proprio ingenio habuit, & quod raptu mentis in Deum orationibus impetrauit. Per quod manifeste ostendit alijs gentibus, fidei non subiectis, quanta sit veritas fidei Christianæ: quæ si humanam rationem transgreditur, rationibus tamen naturalibus, si pro sua altitudine non probatur, verisimiliter suadet: vt ipsi infideles ex hac scriptura ad fidem habeant auditum, & dictæ scripturæ habere non renuant intellectum: dum aduertunt, quod fidem nostram rationibus non possunt impugnare, quibus nequeant defensores fidei rationibus respondere. Vnde cum prædictum librum scriberet, frequenter visus est quasi totaliter a sensibus alienus, qui diuinis revelationibus semper erat intentus. Scripsit prædictus Doctor opus super quatuor Euangelia, Sanctorum auctoritatibus miro modo contextum, ex quibus sic Euangeliorum continuauit historiam, quasi vnus Doctoris videatur esse Postilla: in quo opere mirandum creditur Deus ostendisse miraculum: [supra 4 Euangelia,] quia discurrens per diuersa monasteria, & diuersorum Sanctorum legens volumina,

pro maiori parte ipsorum auctoritates mente retinuit, quas in exponendo notauit: nam eodem agebatur spiritu, [Postillam in Euangelium S. Ioannis:] quo legendo Doctor colligeret, quæ scribendo seruaret. Propter quod opus fecit Postillam super Euangelium S. Ioannis, in qua ostendit, quam alte de suo ingenio, adiutus per gratiam, ad profunda mysterij libri peruenerit, quæ Sanctorum auctoritatibus declarauit. Scripsit super Epistolas Pauli omnes, quarum Scripturam præter Euangelicam super omnes commendabat, in quarum expositione Parisijs visionem præfati Apostoli dicitur habuisse. [in epistolas S. Pauli,] Scripsit super Isaiam, in cuius quodam textu difficili post orationes frequentes & lacrymas, [in Isaiam, Psalmos aliquos, Iobum,] beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui ipsum instruerent, habuisse dicitur visionem. Scripsit super magnam partem Psalterij. Scripsit super Iob ad litteram, quem nullus Doctor litteraliter tentauit exponere propter profunditatem sensus litteræ, ad quem nullus potuit peruenire. In quo opere, quasi inter eum & amicos suos arbiter fuisset de communi concordia positus, sic respondit ex vtraque parte ad singula, velut si quislibet, quod proponebat arguere, potuisset ei ore tenus reuelare. Scripsit insuper quæstiones de potentia, de veritate & malo, magna volumina. Scripsit librum, [varios tractatus & opuscula,] quem nominauit Compendium Theologiæ, quæstiones de Quolibet, de Perfectione vitæ spiritualis, de Substantijs separatis, quæstiones de Anima, super Dionysium de Diuinis nominibus, de Trinitate, de Hebdomadibus Boëtij, & alia multa opuscula Theologicae veritatis, plusquam XX diuersis Dominis & Religiosis personis: quibus sicut ei mittebant dubia, dabat illuminatus diuinitus de veritate responsa: [Officium de Ven. Sacramento,] vt nullum in humanis intellectum eius lateret dubium, ad cuius non pertingeret diuina luce secretum. Scripsit officium de Corpore Christi de mandato Papæ Urbani, in quo omnes, quæ de hoc sunt Sacramento, veteres figuras exposuit, & veritates, quæ de

noua sunt gratia, compilavit. Scripsit etiam super librum de Caussis & compositiones Proculi. [varia philosophica,] Scripsit etiam super Philosophiam naturalem & moralem, & super Metaphysicam: quorum librorum procuravit quod fieret noua translatio, quæ sententiæ Aristotelis continet clarius veritatem, & alia multa opuscula de naturalibus quæstionibus, & aliqua scripsit super Logicam: & quidquid potuit legere, diuino adiutus lumine, potuit explanare. In quo ostendit Deus, quod ipsum ad perquirendam omnium veritatem elegerat, quem de omnibus præ ceteris illustrabat: quia numquam in prædicando posuit obicem, a quo orando quæreret veritatem. Vnum videtur Deus in dicto Doctore, dum viueret, manifestum ostendisse miraculum, vt tam modico tempore (forte in a viginti annis, [intra 20 annos,] qui inter Magisterium eius & obitum in vita fluxerunt, bis eundo Parisijs, & in Italiam redeundo) tot potuerit libros per suos scriptores in scriptis redigere, tot quæstiones tam sufficienter discutere, & tot nouitates scribendo docere: vt non videatur totum tempus suum occupasse, nisi in sanctarum meditationibus Scripturarum, quod comedendo, ambulando & quidquid aliud faciendo, non putabatur contemplando potuisse aliud meditari, nisi quæ post comestionem oportuisset scribere vel dictare. Quod potuisset tot libros in tam breui tempore facere, etiam per aliud admirandum indicium Deus mirabiliter demonstrauit. Nam vt vera relatione sui socij & suorum studentium scriptorum veraciter est compertum, [pluribus scriptoribus eodem tempore dictat:] quod prædictus Doctor de diuersis materijs tribus scriptoribus & aliquando quatuor in sua camera eodem tempore, Spiritu reuelante, dictabat: vt videretur Deus simul eius intellectui diuersas veritates infundere, quas simul non absque miraculo manifesto dictaret. Et non videtur Doctor iste mirabilis ignota quærerere: sed quasi collecta diuinitus in eius memoria de thesauro spiritus multiplicis Sapientiæ reuelare: quasi videretur esse huius Doctoris scientiæ habitus inundans doctrinæ fluuius

Scripturarum, & de diuinæ Sapientiae fonte descenderet, quem in diuersos libros, quasi diuersos riuulos deriuaret. De quo retulit scriptor suus quidam Brito, Euenus Garuith, Trecorensis diœcesis, quod postquam dictauerat sibi & duobus alijs scriptoribus, tamquam fessus præ labore dictandi, ponebat se dictus Doctor pro pausationis gratia ad quietem, in qua etiam dormiendo dictabat. De cuius ore dormientis, quæ audiebat prædictus scriptor, redigebat in scriptis, continuando materiam, de qua ante scripserat: vt intellectualis anima a carnis onere videretur esse soluta, [etiam dormiens,] vt posset dicere: Ego dormio & cor meum vigilat, qui etiam vigilans cum Deo contemplationis otio dormiebat.

[19] Quantum autem fuerit Ecclesiae vtilis huius doctrina Doctoris, non solum ad manifestationem vtriusque Testamenti Catholicae veritatis, sed ad confutationem prauitatis hæreticæ, Deus in ipso principio sui Magisterij, & deinceps miseratus ostendit. Nam præter prædicta magna volumina, quasi fidei Christianæ in sanctis montibus posita fundamenta, in quibus antiquas hæreses confutauit, [contra Auerrois errorem, quasi omnibus vnus esset intellectus, scribit:] suo etiam exortas tempore diuino Spiritu reuelante destruxit, quarum hæresum prima fuit Auerrois, qui dixit vnum esse in omnibus hominibus intellectum. Qui error malorum fauebat erroribus, & Sanctorum virtutibus detrahebat: dum vno existente in omnibus intellectu, nulla esset differentia hominum, nec distantia meritorum. Qui tantum inualuit etiam in simplicium mentibus, sicque se periculose infudit, vt requisitus quidam miles Parisijs, vtrum de suis criminibus se purgare vellet, responderit: Si anima S. Petri est salua, & ego saluabor: quia si vno intellectu cognoscimus, vno sine exitii finiemur. Quem errorem cum essent scholares Golardicæ imitantes, qui Auerrois erant communiter sectantes; poterat prædictus error plures inficere, quibus potuissent prædictum errorem sophisticis rationibus

**persuadere. Vnde contra hunc errorem prædictus Doctor fecit scriptum mirabile, in quo præter rationes fidei, quibus prædictus error illiditur, per dicta etiam Aristotelis, quæ Auerroes male intellexerat, a radice euellit, & nihil rationis habere demonstrat: vt nullus, qui posset dicta Aristotelis capere, quin sit prædictus error irrationabilis, dubitaret.**

**[20] Post hunc errorem prædictus Doctor Parisijs destruxit alium de nouo exortum: qui error non fuit ab infideli commentatione exortus, [Guilielmum de sancto Amore eiusque sequaces damnantes Ordines Mendicantium,] sed a fidelibus, in hoc non fidelibus, Guilhelmo de Sancto Amore, Segero & alijs eorum sequacibus adinuentus. Qui errando dicebant, quod Religiosi mendicantes, non laborantes manibus, non poterant in sola studij contemplatione saluari, consiliorum perfectioni & supererogatæ iustitiæ detrahentes: addentes & multa alia erronea simul & falsa sophismata contra Religiosos, paupertatem, & eorum salutaria instituta; volentes funditus paupertatis Religiones suffodere, quas, sola eos stimulante inuidia, non poterant tolerare. Quorum error tanto magis periculum fidelibus afferebat, quanto magis magistratus auctoritas fidem dabat: quem cum redigissent in scriptis, accusauerunt suam malitiam, a qua nec diutius meditantes, dum scriberent, se auertere noluerunt: aduertere nolentes, quanta erat iniquitas Sanctos Dei ex sola inuidia impugnare, qui ad eorum perniciem volumen volans maledictionis & impietatis hæreticæ scripserunt. Quod tum, vt in aures diulgaretur vniuersalis Ecclesiæ, [etiam scripto Clementi IV oblato,] ad pauperum Religiosorum infamiam, & subuersionem religionis paupertatis & vitæ, ac in ruinam deiectionis perpetuæ, sanctissimo Patri Domino Clementi Papæ quarto, quasi zelatores Ecclesiæ, & propugnatores fidei obtulerunt. Quod cum ad petitionem Reuerendi Patris Fratris Ioannis de Vercellis præfati Magistri Ordinis, cui**

incumbebat, de mandato Summi Pontificis, prædicto volumini respondere, fuisset prædicto Doctori cum Anagninæ in Capitulo esset coram Fratibus non sine singultu & lacrymis assignatum, qui de statu Ordinis & pugna aduersariorum tam grauium dubitabant; Frater Thomas ipsum volumen accipiens, & se Fratrum orationibus recommendans, cum perlegisset attentius, & intellexisset profundius, reperit prædictos Magistros, quos non amor agnitæ veritatis afflabat, nec zelus fraternæ salutis accenderat, sed veritatis æmula, & inimica caritatis inuidia perurgebat, a fundamentis errasse fidei, & male intellexisse Sanctorum auctoritates inductas. Vnde vocatis iterum in Capitulo de mandato Magistri Ordinis Fratibus, Frater Thomas afflatus diuino Spiritu, [de erroribus convincit,] quo in omnibus agebatur, dixit: Fratres, in Deum confidite, qui vos vocauit in suum obsequium: quia libellum legi impugnantis perfidiæ, & inueni ipsum male fundatum in veritate fidei, & male constructum Sanctorum auctoritatibus in auxilium fulcimenti. Cui nefando libello inuocato sancto Spiritu, qui falsa denudat, cum reuelat abscondita, per libellum veritati consonum respondebo. Quem cum in modico tempore de mandato Summi Pontificis perfecisset, respondens argumentis nefariis & superpositis fidei fundamentis, libellum Summo Pontifici obtulit. Quem acceptans & mere Catholicum iudicans, condemnauit libellum oppositum, & in fide suspectum. Quem libellum ad explicandam eorum malitiam, & Dei iustitiam a Dei Vicario implorandam sic incepit: Quoniam ecce inimici tui sonuerunt, & qui oderunt te extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium & cogitauerunt aduersus Sanctos tuos &c. Quem librum non est visus prædictus Doctor sic composuisse humano ingenio, sed potius in Spiritu accepisse de dextera sedentis in throno. In quo cum omnia tela hostis nequissima prædictus Doctor penitus extraxisset, Summus Pontifex ipsum libellum, [illis e cathedra pulsus,] & nefarias condemnans

auctoritates, ipsos Magistros errorum cum suis complicibus de cathedra deposuit, & expulsos de Parisiensi studio omni dignitate priuauit. Prædictus vero Doctor post diuinitus obtentam victoriam non elatus, sed humilior Deo factus Parisios redijt, & ad confusionem insultantium contra Sanctos, & consolationem sequentium veritatem, prædictum libellum, quem ad articulos disputans fecerat, publicauit: in quo ostendit fundamenta esse firmissima Religionis, consultam a Domino viam voluntariæ paupertatis, a quibus errauit persecutorum malitia pertinax, ausa in ea salutis perniciem ponere & occasionem ruinæ. Et quia consonum erat, [victor a S. Ludouico videt suis concedi scholas.] quod inuicto Ecclesiæ Pugili aliquis fauor ad augmentum Ecclesiasticæ disciplinæ consurgeret, qui ad studium animaret, pro prædicto spectabili triumpho victoriæ ab Illustri Rege S. e Lodouico Ordo Prædicatorum habere meruit in sacra Theologia Parisijs duas scholas, vt ex eo Ordini honor consurgeret, vnde prædictus Doctor Ecclesiæ aduersarios fidei scholastica disputatione vicisset.

[21] Destruxit & tertium pestiferum prauitatis errorem Doctor iste mirabilis, qui error antiquus extitit, & perniciosior de nouo surrexit, qui sub pio nomine omnem impietatis perniciem continens, vocatur de nouo spiritu libertatis. Cuius sectatores simul & inventores se nominant Fraterculos de vita paupere, [Fraterculos de vita paupere, inducentes nouum Spiritum libertatis,] vt etiam sub hoc humilitatis Sophistico nomine simplicium corda seducant: quos captos potius hæretica prauitate fermentant, quorum mentes, dum non probant vtrum a Deo sint spiritus, sic mendax spiritus dementauit, vt quasi sub vno capite Christo duas figant Ecclesias: vnam carnalium, super quam Summus Romanus Pontifex præsidet, sub quo per diuersas prouincias ipsam Prælati eius auctoritate gubernant. Contra quam Ecclesiam, quæ Christo copulatur in Sponsam, sic profano ore

blasphemant, vt hac reprobata, aliam mentiantur esse Ecclesiam spiritualium, de qua esse se asserunt, inuentores erroris pariter & sequaces. Qui dum dicunt se duci spiritu libertatis, in omnem seruitutem prauitatis hæreticæ eodem spiritu præcipitante labuntur, [scripto oppugnat:] criminibus miserrimis, quia diuisionis spiritus & erroris, quot potuit ipsorum phantasias subuertere, tot dedit sectas prauitatis hæreticæ inuenire. Quorum dementia ad fundandas in ruina sine fundamento hæreticas prauitates, tertium nouum fingit statum, & sine testatore Christo noui spiritus Testamentum, sub quo status Ecclesiæ debet hoc nouo tempore immutari. Quorum errores prædictus Doctor in suis scriptis in diuersis locis elisit: ostendens post Christi Euangelium & filij Dei vltimum Testamentum, per quod in hæreditatem cælestem fidelis omnis ingreditur, nullum alium statum Ecclesiæ debere succedere, sed istum, qui nunc est gratiæ, præparatiuum gloriæ, vsque ad finem seculi permanere. Et quia ex dictis Abbatis Ioachim prædicti hæretici fomentum sumunt præfati erroris pestiferi, prædictus Doctor in quodam monasterio petiuit librum præfati Abbatis, & oblatum totum perlegit, & vbi aliquid erroneum reperit vel suspectum, cum linea subducta damnauit, quod totum legi & credi prohibuit, quod ipse sua manu docta cassavit. Contra quem errorem pestiferum sanctissimus Pater Ioannes Papa XXII, ad quem pertinet hæreses condemnare, mirandam edidit decretalem, quorum errores, dum in ipsa descripsit, sacri canonis auctoritatibus, potenter elisit.

[22] Destruxit quarto prædictus Doctor illum antiquum Græcorum Schismaticæ prauitatis errorem: [propugnat auctoritatem Summi Pontificis contra errores Græcorum,] qui præter alias hæreses, in quas schismaticæ prauitatis zelus ipsos præcipitat, in hunc deuenerunt errorem, vt Romano Pontifici, Successori S. Petri & Christi Vicario, obedire recusent. Contra quos de mandato Summi

Pontificis Urbani specialem tractatum edidit, in quo per Doctores Græcorum ipsos perspicua veritate convicit. Nec solum præfatus Doctor prædictos destruxit errores, sed tot, quot potuissent succrescere, si contigisset prædictum Doctorem tot veritates fidei non docere. Erat enim Scriba doctissimus, proferens noua & vetera de nouo & veteri Testamento. Sed quia frequenter contigit, quod, dum intellectus superius subtilia speculatur, affectus inferius a deuotione remittitur, prædictus Doctor ad excitandam deuotionem die quolibet legere vnam lectionem sibi de Patrum Collationibus solitus erat. Interrogatus autem cur lectioni huic intentus, [quotidie legit Collationes Patrum:] interdum speculari dimitteret; respondit: Ego in hac lectione deuotionem colligo, ex qua facilius in speculationem consurgo, vt sic affectus habeat, vnde se in deuotionem diffundat, vt intellectus ex huius merito ad altiora ascendat. In hoc sui Patris Dominici imitatus exemplum, qui in dicto libro legens frequentius, magnum perfectionis apicem apprehendit: vnde creditur prædictus Doctor nihil minus habere a Doctoribus magnis in gloria, qui nihil minus in vita, in sanctitate habuit, & doctrina: sicut Fratri Alberto de Brixia, qui etiam in vita & post mortem miraculis claruit, vigilantibus & oranti fuit aperta visione monstratum, beatos Doctores Augustinum & Thomam pares esse in gloria, [S. Augustino ostensus in gloria æqualis,] licet Augustinus infula præcederet, & Thomas supra Augustinum virginitate polleret. Quam visionem apertam prædictus Frater Albertus adiuratus compulsus est reuelare, cum frequenter fuisset auditus asserere, prædictum Thomam magnum Sanctum esse in patria, & hoc publice prædicare: quia nullus potest de tanti Doctoris dubitare gloria, cuius tam certa testimonia sunt de vita.

[23] Et non solum Deus voluit per prædictum Doctorem hæreticam prauitatem conuincere; sed etiam cæcitatibus Iudaicæ tenebras misericorditer dignatus est illustrare.

Nam in Molaria castro Domini Richardi Cardinalis prope Romam, [conuertit duos Iudæos] cum prædictus Doctor in festo Natiuitatis Domini cum prædicto Domino moraretur, & ad eum duo magni Iudæi litterati & diuites, sicut omni anno consueuerant, conuenissent, rogauit prædictus Dominus, vt præfatus Doctor cum eis de eorum conuersione tractaret. Cum quibus cum diutius contulisset de Lege veteri, & Saluatoris aduentum probasset per dicta plurium Prophetarum, dedit eis terminum in crastinum, vt de eorum conuersione, & super his, quæ proposuerat, responderent. Pro quorum conuersione cum pius Doctor orasset, & eam petiuisset a Dei Filio, vt sibi in suæ natiuitatis gaudio concedere dignaretur, ecce Iudæi in termino præfixo ad prædictum Doctorem conueniunt, conuertuntur, confitentes se non posse spiritui sapientiæ, qui in ipso loquebatur, resistere, nec contra hoc, quod pure suaserat, respondere. Fit magnum de festo Natiuitatis Dominicæ gaudium, & pro eo quod Iudæis perfidis conuersionis beneficium hoc est Deo miserante donatum, Dominus Cardinalis de utroque festum cum magno gaudio celebravit. Consueuerat autem prædictus Doctor quolibet anno in prædicto festo aliquam nouam habere de Dei & gloriosæ Virginis Filio visionem, quæ rationi eius afferret gaudium, & animi satiaret affectum.

### Annotata

De Guilielmo de sancto Amore eiusque sequacibus præstat legi Continuationem Henrici Spondani ad Historiam Ecclesiasticam: [Guilielmus de S. Amore.] ac potissimum, quæ de eius condemnatione anno 1255 traduntur: & quæ ab Odorico Raynaldo Presbytero Congregationis Oratorij latius in Annalibus etiam Ecclesiasticis deducuntur ad dictum annum 1255, vti 1256 & 1259. Poterat Abrahamus Bzouius confictam sub nomine S. Hildegardis prophetiam, quam inseruit suis Annalibus ad annum 1415 num. 39, ad iam indicata tempora referre,

& cum opusculis Guilielmi de S. Amore, aut Bullis Pontificijs, quibus ea perniciosa doctrina inseritur & damnatur, conferre, [Prophetia sub nomina S. Hildegardis conficta.] ac plane eadem vbique omnia reperisset. Asserit Bzouius se illam prophetiam eruisse ex vetusto codice, cui titulus erat Manipulus Florum Thomæ Hibernici: qui scilicet eodem tempore, quo Guilielmus de sancto Amore Parisijs studiorum caussa vixit & gradum Doctoris sacræ Theologiæ assecutus est, postmodum in Italiam progressus, atque in Ordinem Fratrum Minorum adscriptus, vltimam vitæ partem Aquilæ transegit, & ne ad celebrandum Missam cogeretur, pollicem sibi amputavit. Huic ergo Codici, ne periret, adiuncta aut assuta fuit illa dicto tempore conficta prophetia: cuius initium est apud Bzouium: Insurgent gentes, quæ comedent peccata populi, tenentes Ordinem mendicum &c. Hæretici nostri temporis eandem prophetiam plurimum immutarunt hoc exordio: In diebus illis exurget gens insensata, pomposa, cupida, perfida, & exosa, quæ peccata populi comedent. Ordinem quorundam deuotariorum sub assimilata mendicantium specie tenentes &c. Et vt plena esset mentiendi securitas, præfati hæretici fabulatores fingunt, monasterio S. Hildegardis per Germanica bella destructo, volumina eius antiqua perijsse aut alio translata esse. Vnde potuerunt ergo habere, quæ tam libere proferunt, nisi ex proprio cerebello? Fuimus nos anno 1600 in monasterio Bingensi, & sacras S. Hildegardis reliquias venerati, & antiqua volumina eius, quæ etiamnum ibi extant, manuscripta in membrano, perscrutati, nihil eiusmodi reperimus. Interim nonnulli Catholici, verbis immutatis peiorem sensum constarunt, & vbi apud hæreticos legebatur satietatem sectantes, substituerunt SOCIETATEM sectantes, aut quid simile: quod per transennam hic dici debere locus exigebat. Henricus de Gandauo auctor coæuus in Appendice de Scriptoribus Ecclesiasticis testatur S.

**Thomam opusculo subtilissimo errorem Guilielmi refutasse.**

**Clemens IV sedit ab anno 1265 ad 1268.**

**Ioannes de Vercellis VI Generalis Ordinis creatus est anno 1264, in ea præfectura mortuus anno 1284.**

**Aderat eo tempore Parisijs S. Ludouicus, vltimam contra Saracenos postea adorsus expeditionem anno 1269, mortuus anno sequente.**

**E vita excessit Abbas Ioachim anno 1202.**

**Extat in Extrauagente, Sancta Romana, de Religiosis domibus, in 6.**

**Urbanus IV sedit ab anno 1261 ad annum 1264.**

## **CAPVT V.**

### **Humilitas & puritas animi.**

**[24] Et vt radix huius Doctoris scientiæ, quæ & tam multipliciter erat in fructibus multiplicanda doctrinæ, nos aliquo modo non lateat; sed ad Dei & Sancti laudem, [Virtutibus præditus,] & exemplum omnibus innotescat, prætereire non debemus narrationem suorum actuum & virtutum. Erat enim prædictus Doctor in sui reputatione humillimus, corpore & mente purissimus, oratione deuotus, consilio prouidus, conuersatione placidus, caritate diffusus, intellectu lucidus, ingenio acutus, iudicio certus, memoria retentius, a sensibus quasi quotidie eleuatus, & omnium quasi contemptius temporalium, vt omnium virtutum vnus homo haberet habitus, ex quibus sibi ad meritum & alijs in exemplum similes producerentur effectus.**

[25] Et primo de eius humilitate narrandi virtutes eius sumamus principium, a qua omnium virtutum proficit incrementum. Vnde de sua humilitate fertur prædictus Doctor in sua puritate dixisse: [summe humilis absque inani gloria:] Regratior Deo, numquam de mea scientia, cathedra magistrali, & de nullo actu scholastico habui motum inanis gloriæ, qui meum a sede humilitatis extolleret animum. Et si primum motum præuenientem rationem habui, eiusdem rationis iudicio superueniente depressi: non enim potuisset in tam sublime erexisse animum ad diuina, nisi ad fundamentum humilitatis suæ deposuisset humana. Erat enim sibi conscius a Deo se scientiam hanc habere, qui dederat; ideoque in suo animo motum inanis gloriæ habere non potuit noxium, qui quotidie sciebat sibi fieri diuinæ veritatis influxum. [in conversatione suavis,] Cuius humilitatis indicium ex humili eius conversatione ostenditur: ex qua, qualis fuit interior eius animus, edocetur. Vnde cum potuisset Doctor mirabilis ex illa sublimi speculatione a diuinis ad humana descendere, sic erat in conversatione tractabilis & in locutione suavis, vt vere ostenderet a Christi forma se exemplariter procedere, cuius vitam meruit & contemplando cognoscere & prædicando docere, quia non potuisset a Deo tantam habere scientiam, nisi viuendo prius didicisset eius humilitate doctrinam.

[26] De cuius mirabili dicitur humilitate, quod cum in Bononiensi conuentu prædictus Doctor transiens moraretur, & more solito per clastrum contemplatiuus incederet, [cum Fratre externo Bononiæ egit humilime:] quidam Frater alterius conuentus, qui Doctorem non nouerat, venit ad eum, petita & obtenta licentia a Priore, vt cum eo qui primo occurreret, in ciuitatem ad sua negotia ire liceret: & dixit ei: Bone Frater, Prior mandauit, quod veniatis mecum. Qui statim inclinans caput, secutus est eum. Post quem cum non potuisset sic festinanter incedere, frequenter redargutus a socio, se humiliter

excusabat. Ciues vero, qui eum nouerant, admirati, quod tantus Doctor post Fratrem tantæ conditionis incederet, de quo erat dignus, vt præiret; cogitantes hoc ex errore contigisse aliquo, indicauerunt Fratri, quis esset ille, quem duceret. Qui conuersus ad Fratrem Thomam, petiuit veniam, vt eius ignorantia indulgeret: & conuersis prædictis ciuibus cum reuerentia Magistrum interrogantibus, de tanto humilitatis exemplo respondit: Quod in obedientia perficitur omnis religio, qua homo homini propter Deum subijcitur, sicut Deus homini propter hominem obediuit. O felix humilis anima, quam dignitas magistratus non extulit, nec tanti Doctoris status conditio a radicibus humilitatis auulsit: cui non est visum aliquam excusationem opponere, vbi ex verbo Prioris innotuit obedire. Qui quamuis decursibus assuetus non esset, quia diuinis meditationibus semper erat intentus, in promptu tamen habuit obedientiam, quam esse nouerat virtutum omnium ex nobilitate magistrum.

[27] Aliud humilitatis exemplum ad prædicti Doctoris perfectionis indicium fuit ab his, [æquo animo fert contrariam sententiam defendi,] qui fuerunt cum ipso Parisijs, iuridica assertione relatum. Qui cum quidam Religiosus Parisijs deberet per Cancellarium examinari ad Magisterium, in vesperis, sicut est moris, licentiandus de obiectis quæstionibus opinionem contrariam tenuit veritati, quam in suis scholis prius Doctor determinauerat. Cui cum vir ille patientissimus non reputans: sibi præiudicatum, in quo ei fuerat a Magistro adhuc nouitio contradictum, quasi vere humilis, qui sui contemptum magnanimus contemnebat, quietus mente & verbo tranquillus, cum Fratribus socijs redijt ad conuentum. Studentes vero, & prædictus socius eius, non ferentes talem iniuriam, dixerunt: Magister, nos grauiter in vestra persona sumus offensi, quia ille Magister contra opinionem vestram non debuit dicere, & vos non debuistis hanc veritatis iniuriam coram omnibus Magistris

Parisiensibus sustinere. Quibus quietus Magister plus in animo quam in verbo respondit: Filij, visum fuit mihi nouo Magistro in suo principio esse parcendum, ne confunderetur coram omnium Magistrorum conspectu. [ab alijs rogatus modeste suam sententiam ostendit esse veram.] De mea vero doctrina non dubito de cuiuscumque contradictione Doctoris, quam operante Deo firmaui Sanctorum auctoritatibus & rationibus veritatis. Si tamen Fratribus videtur aliud, die crastino supplere potero, quod omisi. In crastinum autem cum ad idem in aula Domini Episcopi coram eisdem Fr. Thomas cum studentibus conuenisset, & eædem quæstiones fuissent & determinaciones per Licentiandum sine correctione aliqua repetitæ; Frater Thomas cum omni moderamine dixit: Magister, ista vestra opinio, salua veritate, teneri non potest, quia est contra tale Concilium: vnde oportet vos aliter dicere, si non vultis a Concilio discordare. Tunc aliter dicere cœpit, sed opinionem in sententia non mutauit. Contra quem iterum arguens, & Concilium contra ipsum adducens, compulit ipsum suum confiteri errorem, & petere humiliter a prædicto Doctore scire plenius veritatem. Tunc Frater Thomas dixit: Modo bene dicitis, & docuit ipsum quod erat pro veritate tenendum. De quo Magistri omnes admirati sunt de tranquillitate mentis eius & verbi, qui sic arguebat aduersarium, quasi doceret discipulum, & quod tantæ scientiæ subito proposuisset mirabile documentum, vt suum locum teneret, & debitum solueret occulta scilicet virtus animi, & veritas manifestata Magistri.

[28] Meruit etiam prædictus Doctor ad tantam sapientiam sublimari, non solum ex humilitate, qua se parauit obediens, vt ipsam susciperet: [Puritatem animi in oratione impetrat:] sed ex puritate mentis & corporis, qua apud Deum digne meruit vt haberet. Legerat enim & scripserat, quod in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. [Sap.

1, 4] Et ideo puritatem mentis & corporis habere studuit, quam sciens haberi non posse ex humano merito, petiuit a Deo, vt sibi largiretur ex dono, quod certum est collatum sibi fuisse virginitatis donarium, sicut ex visione, quam in carcere habuit, reali fuit indicio Angelicæ visionis ostensum. De cuius Doctoris puritate mentis & corporis fidem fecit fassio Fratris Raymundi a Seueri prædicti Ordinis, qui frequenter cum iuramento asseruit, quod existens Parisijs in studio cum prædicto Doctore, non recordabatur in septem annis, quibus simul fuerant, quod audisset in Confessione eius, [nulli carnali cogitationi consensum præbuit:] habuisse eum vmquam in carnali cogitatione consensum, qui rarissime habuit primum motum, cum toto illo tempore mutuo sibi per Confessionem conscientias panderent, & alternatim ad sacrum Missæ mysterium se iuarent. Erat autem prædictus Frater Raymundus magnæ religionis & famæ, quem Sanctum fuisse tanti Doctoris conversatio tantæ diuturnitatis ostendit. [instar quinquennis pueri ab omni labe immunis,] Ad testimonium autem huius puritatis assertio facit sui in vltimis Confessoris & socij continui, Fratris scilicet Raynaldi de Piperno, qui totius vitæ suæ meruit esse comes & testis: qui pluribus & pluries retulit, quod Confessio dicti Doctoris fuit in vltimo, sicut Confessio pueri quinque annorum, qui numquam habuisset peccati mortalis in aliqua prauitate consensum.

[29] De huius Doctoris puritate mirabili & inuiolata, ac modernis temporibus inaudita, facta est reuelatio cuidam Fratri deuoto dicti Sancti, de quo inferius dicetur, quod reuelationem habuerit de rete argenteo, contexto in nodis diuersis lapidibus pretiosis, cum cogitasset eius historiam texere, & de quibus posset ipsum virtutibus commendare. Qui cum prosecuturus prædicti Doctoris Canonizationem, rediret ad curiam, & esset in portu Asturij cum intolerabili tempestate; [in apparitione, in somno scriptori Vitæ facta, suam virginitatem fatetur:]

rogauit prædictum Thomam Sanctum, sicut frequenter orauerat, quod sibi aliquam reuelationem ostenderet, qua in tanto periculo & laboris tædio ipsum aliquatenus subleuaret. Quo deuotius orante cum lacrymis, circa auroram post petitionis instantiam dormienti Fratri, S. Thomas apparuit satis iuuenis, sicut eo tempore fuerat, quo de hac vita transiuit. De quo cum miraretur, alteri cuidam Fratri, quem ad Ordinem ipse Doctor acceperat, dixit: Ecce S. Thomas iunior te esse videtur. Cui respondit dictus Doctor: sic Sancti sunt iuuenes. Qui cum eum interrogare vellet de historia, quam de eo scripserat, dixit: Magister ego scripsi totam historiam tuam, vnum tamen mirabile est, de quo dicas mihi, si est vt scripsi, plenius veritatem: quod tu fuisti mortuus ita purus & Virgo, sicut exiisti de vtero matris tuæ: quod post mortem prædicauit Frater Petrus de Sicia. Qui conuersus quasi de sua laude aliquantulum in ruborem, dixit: Sic fuit, quod non prædicauit Frater Petrus; sed socius meus Raynaldus. Quem cum vellet interrogare de tota historia, si contineret in omnibus veritatem; tres globi luminis in splendore æquales, sed vnus erat super duos, apparuerunt subito ante ipsum. Tunc Frater memor quod legerat, dixit: Docuisti Magister & scripsisti, quod Sancti triplicem visionem habuerunt de Deo, aliquam sensibilem, aliquam imaginariam, aliquam intellectualem: intelligens prædictus Frater hunc triplicem modum visionis prædictos tres globos luminis designare. Qui respondit: Verum est, & statim disparuit visio. O diffusa sancta pietas, & vsque ad indignum & quasi nullius meriti discipulum benignitas inclinata Doctoris, qui senem in vita sustinuit, & inter afflictiones innumeras lapsum, in tantis laboribus iterati itineris sustentauit, vt speremus ipsum suis deuotis in spiritualibus ampliora iuamenta tribuere, quos temporalibus quotidie non desinit adiuuare. Huic etiam puritati præ omnibus testimonium reddidit modus & miranda conuersatio vitæ suæ, [puritatem seruauit continua oratione & studio,] qui sic quotidie diuinis

contemplationibus erat intentus, vt nullo modo fieri posset contrarijs occupatus. Non enim pondus carnis poterat mentem eius diuinis rebus indesinenter intentam, a sua eleuatione deponere, qui disposuerat, adhuc viuens in corpore, in cælestibus animo habitare. Cui suam vitam sic concesserat diuinus Spiritus occupare, [numquam otiosus.] vt semper de virtute in virtutem curreret, vt contemplationis intellectu claresceret, & actus affectum ædificatio cumularet: cuius tota vita sic erat sacris actionibus occupata, vt aut oraret, meditaretur aut legeret, prædicaret vel scriberet vel dictaret; vt nullum vitæ suæ temporis perderet otium, quod non esset ad exercitium sanctæ actionis expensum.

## CAPVT VI.

### Oratio. Eleuatio corporis. Benignitas.

[30] Et quia consequens erat, vt, qui tam profundum humilitatis exemplum pro fundamento posuisset in infimis, tantæ puritatis ædificium erexisset in medio, deuotionem mentis perficeret in supremo; ideo tertio loco de eius mentis eleuatione & oratione dicemus. [In oratione deuotus,] Erat autem deuota supra modum eius oratio, qua sic liber in Deum deuotione mentis ascenderet, quasi nullum pondus carnis contrarium sustineret. Quæ consueta erat numquam excitare motum rationi contrarium, qui corpus suum coëgerat fieri sub ratione subiectum. Quod non solum ex dictis apparet, quæ de eius humilitate, conversatione & puritate sunt dicta; sed ex sequentibus, quæ sunt veridica attestazione approbata. Erat enim præcipue deuotus ad sacrosanctum Sacramentum Altaris: de quo quia concessum ei fuerat profundius scribere, donatum est ei deuotius celebrare. Quotidie enim vnam Missam dicebat, nisi cum infirmitas impedisset, [quomodo Missam celebrat,] & aliam audiebat socij vel alterius, ad quam ipse frequentius ministrabat. Consueuerat autem frequentius rapi in Missa

tantæ deuotionis affectu, vt totus perfunderetur lacrymis, [& ministrat sæpe:] qui tanti Sacramenti sacris absorbebatur mysterijs, & reficiebatur ex donis. Vnde cum semel in conuentu Neapolitano in die Dominicæ Passionis multis militibus astantibus, Missam deuotius celebraret in prosecutione cœpti sacri mysterij subito visus est absorptus sic ab altitudine Sacramenti, quasi diuinis videretur admissus interesse mysterijs, & Christi hominis affici putaretur pœnis: [& extasim patitur,] quod indicare videbatur diuina mentis abstractio, & inundans perfusio lacrymarum. Quo diutius sic manente, admirati Fratres accesserunt, & ipsum tangentes, vt prosequeretur sacra mysteria, a profunditate, qua raptus videbatur, interesse mysteriis, excitauerunt. Quem post sacrum sumptum mysterium, aliqui Fratres & milites sibi familiares rogauerunt, vt quid sibi accedisset in illo raptu eis dignaretur dicere, & quod eis ad ædificationem cederet, reuelaret. Qui dicere renuit, & reuelata ne proderet, occultauit. Visus fuit etiam frequenter, cum cantaretur ille versus in Completorio quadragesimali tempore: Ne proijcias nos in tempore senectutis, [vti & in Completorio,] cum defecerit virtus mea, quasi raptus & in oratione absorptus multis perfundi lacrymis, quas de oculis videbatur educere piæ mentis. [Ps. 70, 9] Erat præterea prædictus Doctor nocturno tempore, humanæ deputato quieti, [tempus orationi aut studijs tribuit,] post breuem somnum in sua camera vel ecclesia, ad quam sibi de nocte patebat accessus, in loco, quem sibi ad orandum elegerat, in oratione prostratus; vbi orando mereretur addiscere, quæ oportuisset post orationem scribere vel dictare. Sic enim tempus vitæ suæ, sibi concessum ad meritum, distribuit ad profectum, vt præter illud tempus modicum, quod somno vel cibi receptioni pro valetudine corporis sibi perfunctorie indulsisset, reliquum orationi, lectioni, prædicationi, meditationi, vel scribendis aut dictandis quæstionibus expendebat: vt sic nullum vitæ tempus esset vacuum, quod non esset sacris actionibus

occupatum. Ita quod si aliquando pro consolatione Fratrum vel aliarum venerabilium personarum cogeretur dimisso studio in locutorio consedere, a profectu virtutis & studij, etiam illa hora modica, non vacabat. [raro colloquijs:] Nam expeditis his, quibus oportuisset propositis respondere, aliquod historiale aut morale ad ædificationem breuiter disserebat, reliquum si superfuisset tempus, priusquam ad cameram suam completa locutione redisset, surgens a loco cum quibuscumque sedisset, sicut non aduertens diuinis intentus, discurrens per claustrum vel hortum, consuetum tempus suis meditationibus & speculationibus expendebat: sic iterum ad orandum paratus, quasi non dimisisset oraculum, cuius nulla occupatio immutabat affectum: quia nec alijs delectabatur eius affectio, nisi his reuelationibus, quas impetrasset orando.

[31] Et quia ex eo, quod petitur a Deo, oratio exauditur, necessarium est dicere, [oratione assecutus sapientiam petitam:] quid in oratione prædictus Doctor consueuerat postulare. Qui cum esset nobilis de nobili genere, & potuisset diuitias temporales habere, sicut ipsas contempsit cum habuit, sic cum non habuit, non petiuit: sed exemplo Salomonis nihil aliud, quam Dei sapientiam, quam amabat, in oratione petebat. Vnde certissime creditur, & manifeste probatur, quod prædictus Doctor merito suæ deuotæ orationis a Deo deuotus obtinuit quæ scripsit, quæ docuit, quæ dictauit. Quod ex ore prædicti Fr. Raynaldi socij eius est habitum, qui, quod de ipso viderat, seruauit in dicti Doctoris vita secretum. Retulit autem prædictus socius post præfati Magistri obitum, quod cum de monasterio Fossæ-nouæ redisset, & lectiones, vbi dimiserat, cum esset Lector Neapoli, resumpsisset, cum ingenti fletu dixerit: Fratres, ego fui a Magistro meo in vita sua prohibitus, ne miranda, quæ de ipso videram, reuelarem: inter quæ fuit, quod scientiam suam, quam præ alijs mirandam habuit, non humano

ingenio, sed orationis merito acquisiuit. Nam quotiens studere voluit, disputare, legere, scribere vel dictare, prius ad orationis secretum accedens, [ante studia, & actiones solitus orare,] profusis orabat lacrymis, pro diuinis inueniendis in veritate secretis: cuius orationis merito, sicut de quæsitis ante orationem accedebat dubius, sic postmodum redibat edoctus. Cum autem aliquod dubium occurrisset nondum requisito deuotionis oraculo, ad orationem accedens, quod erat sibi dubium diuino miraculo inueniebat apertum. Vnde videbatur in eius anima intellectus & affectus, sicut inuicem se comprehendunt: vt potentiæ liberæ; sic inuicem sibi subseruiebant in suis actionibus, vt supremæ: vt affectus orando mereretur ad diuina ingredi, & intellectus huius merito intueri, quæ altius intelligeret, quo affectus ardentius in id, quod luce caperet, amore flagraret.

[32] De quo mirando Doctore prædictus socius eius aliud stupendum reuelauit prodigium. Quod cum super Isaiam scriberet, & profunda Prophetæ mysteria exponendo & scribendo in lucem adduceret, peruenit ad quemdam ipsius libri textum, [verum sensum Isaiaë ieiunij & oratione petens;] quem cum non intelligeret, nec ad intellectum litteræ, qui ei satisfaceret, perueniret, & multis diebus ieiunij & orationibus se affligeret, instantia orationis obtinuit sibi dubium diuinitus exponi oretenus, quod petiuerat in oratione deuotus. Nam vno dierum, celebrato cum deuotione ieiunio, de nocte audiuit prædictus eius socius ipsum loquentem, cum quo vel quibus ignorans: sonum quidem percipiens, materiam autem, de qua currebat locutio, non perpendens. Qua locutione finita, prædictus Doctor dixit socio: Fili Raynalde surge, & accende candelam, & accipe quaternum, in quo super Isaiam scripseras, & para te iterum ad scribendum. Qui cum diutius scriberet quæ Doctor, quasi in libro legeret, ea facilitate dictabat; scribenti Fratri post aliquam horam dixit: Vade Fili ad

quiescendum, quia restat adhuc multum tempus ad quietem. Qui avidius scire cupiens secretum Magistri sui prodigium, quod ei audita locutione erat revelatum, ad pedes sui Magistri procidit cum lacrymis, genibus flexis, & dixit: Ego de loco isto non surgam, nisi dicatis mihi, cum quibus vel cum quo diutius estis ista nocte locutus: & cœpit ipsum per nomen Domini Dei fortiter adiurare. Qui cum pluries dicere nolisset, & diceret: Fili, non est tibi opus hoc scire; iterum strictius adiuratus, ne nomen Dei videretur contemnere, per quod eum socius ausus fuerat adiurare, prædictus Doctor prorumpens in lacrymas, dixit: Fili, vidisti his diebus afflictionem meam super dubio, quod habui super istum textum, quem modo exposui, quem multis lacrymis a Deo scire petivi: vnde hac nocte Deus miseratus mei, misit ad me beatos Apostolos Petrum & Paulum per quos ipsum rogaueram, [ab SS. Petro & Paulo apparentibus docetur,] qui me omnia plenissime docuerunt. Sed ex parte Dei tibi præcipio, vt in vita mea non audeas revelare. O stupendum diuinæ dispensationis mysterium; vt Deus diuinæ Scripturæ suæ intellectum ad tempus abscondat, quem alio tempore mira pietate revelat; vt sciatur quantum intellectus humanus a diuinis deficit, qui per se ad diuina mysteria non pertingit: vt ab illo petatur intelligentia, cuius est revelare secreta, & discamus diuina charismata in humilitate custodire, quæ cum difficultate quærimus & inuenimus: vt pium & efficax Doctoris oraculum, quod sic cito diuinæ pietatis inclinavit auditum, vt sciat homo patienter ferre, dum diuina non capit, quæ appetit, & confidat orando citius impetrare quod quærit. O felix Doctor, cui diuinæ Scripturæ Clavicularius cæli aperuit ostium, & ascensor cælestium Paulus ille mirabilis docuit in veritate secretum. O felix Doctor, hospes mundi & ciuis cæli, qui cum cælestibus loquitur, dum adhuc in corpore hospitatur. O certa, vera & digna fide prædicti Doctoris approbata doctrina, quæ diuina revelatione suscipitur, & a cælestibus Doctoribus edocetur.

**[33] Aliud grande prodigium prædictus socius eius retulit de præfato Doctore, quod in vltimis constitutus reuelavit ei pro Dei laude & eius consolatione. Quod beata Virgo gloriosa Mater Dei ei apparuit, [a Deipara apparente fit certus de vita & scientia:] quæ ipsum certificavit de vita sua & scientia, & quidquid deliberate per ipsam a Deo petiuit, & quod non mutaret statum sui Ordinis, sicut frequenter in oratione petiuerat, impetrauit. Erat enim prædictus Doctor Virgo purissimus, mente & corpore nitidus, sicut ex ore Confessorum suorum certissime est compertum. Nouit autem illa fortissima mulierum, Mater pia, non solum intra cælorum ordines discurrere: sed dignatur etiam peregrinantibus suæ præsentia solatium non negare: quæ vnde ascendit semper respicit, & tamen iuxta filium Regina confidet. Quæ pie creditur Doctori suo singularem illam scientiam a filio impetrasse, quam petijt cum puritatis lilio: quod sicut immaculatum Deo obtulit, sic seruauit.**

**[34] Ad habendum autem de dicto Doctore mirandæ deuotionis & orationis indicium, de eleuatione eiusdem mentis & corporis subiungendum est certissimum apertæ visionis sensibile argumentum. Nam cum esset Salerni in conuentu Fratrum, visus est prædictus Doctor, ante maius altare in oratione existens, post Matutinas a Fratribus Iacobo & prædicto socio suo, qui ipsum exempli gratia obseruabant, [in oratione eleuatur a terra:] duobus cubitis eleuatus a terra, velut, si fas est dicere, futurum agilitatis vel aliquod simile participium accepisset, quo sine pondere, quasi in sua leuitate maneret. Dignum namque erat, vt animam illam, quam nulla violaret affectio, corpus sequeretur obediens, quod mirabiliter Deus reuelavit miraculo, quod supernaturaliter concessisset ex dono.**

**[35] a Simile sed magis stupendum vidit in conuentu Neapolitano de prædicto Doctore Frater Dominicus de**

**Caserta Sacrista, vir oratione deuotus, actione sollicitus, & virtute probatus, qui alias habuit visiones mirabiles: qui aduertens Fr. Thomam semper de camera sui studij ad ecclesiam ante Matutinas descendere, & ne videretur ab alijs ad suam cameram festinus redire, semel ipsum curiosius obseruauit. Et accedens retro in capella S. Nicolai, vbi fixus in oratione manebat, vidit ipsum quasi duobus cubitis eleuatum in aëre. De quo diu admirans, subito audiuit de loco, ad quem prædictus Doctor conuersus erat ad orandum cum lacrymis, huiuscemodi vocem de imagine Crucifixi: Thoma bene scripsisti de me, quam recipies a me pro tuo labore mercedem? [& audit Bene de me scripsisti &c.] Qui respondit: Domine, non nisi te. Et tunc scribebat tertiam partem Summæ de Christi passione & resurrectione. Post quam scripturam parum scripsit propter miranda, quæ sibi Deus mirabiliter reuelauit. Signum namque fuit certissimum, quod a scribendi cessaret opere, ex quo iam requirebatur a Domino de mercede: quam satis congruam petiuit pro munere, vt haberet, vnde reficeretur in patria, de quo scribendo tanta dulcedine delectabatur in via: quem cum præ ceteris intellexisset dum viueret, præ multis alijs clarius videre meruit dum transiret.**

**[36] Fuit præterea prædictus Doctor consilio prouidus, quia consequens erat, vt, qui diuina cognosceret, de humanis certissime iudicaret. Qui licet a temporalibus negotijs & mundanis miro modo esset extraneus, [consilium prudenter confert, etiam S. Ludouico Regi:] quia diuinis rebus totaliter erat intentus; tamen cum intellectum suum speculatiuum, requisitus in consilio, ad agibilia & temporalia conuertit, tam subtiliter & vtiliter consulebat, quasi videretur quis consilium requisuisse diuinum; vtpote qui illas regulas habebat præ oculis, a quibus omne, quod humanitus agitur, diuinitus diffinitur. Vnde de illustri Rege Franciæ S. Ludouico dicitur, quod semper in rebus arduis dicti Doctoris requirebat**

consilium, quod frequenter expertus fuerat esse certum: vt vtriusque in hoc perpenderetur sanctitas, & Illustris Regis, quod in dubijs Doctorem consulendum requireret, & sancti Doctoris, qui diuino Spiritu, quid esset verius, responderet. Vnde dicitur, quod, cum primo Parisijs de aliquibus arduis & necessarijs in crastino deberet habere consilium, de sero mandabat prædicto Doctori, vt illa nocte super dubio imminentis casus mente intenderet, vt, quod esset vtile respondendum, in crastino cogitaret: quod vir obediens, sicut mandatum receperat, sic implebat.

[37] Et quia conueniens satis erat, vt qui tot beneficia a Diuina largitate abundantius alijs suscepisset, [benignus erga alios:] se omnibus caritate diffunderet; fuit etiam prædictus Doctor caritate & pietate diffusus, vt alios a se ipso præueniret in gratijs, quibus datus erat diuinitus vt splenderet in doctrinis. Erat miro modo benignus in animo, qui totus suavis erat in verbo & liberalis in facto: vt ostenderet omnibus quis Spiritus habitaret in eius mente, cuius tanta suavitas procedebat ex ore: vt vnusquisque, qui totius conversationis eius vidisset effigiem, mentis eius potuisset legere sanctitatem. Qui licet supra modum contra peccantes insurgeret, [insurgit in peccantes, vt emendentur,] ipse, qui peccata nesciret; sed pro amore iustitiæ & salute animæ proximi ludici & Prælati consulebat, contra ipsam culpam insurgere, vt Prælati ex suo consilio, talis fieret; simul criminis persecutor & hominis liberator: vt subito crimen deficeret, & homo cum crimine non periret. Et quamuis iste Sanctus difficulter crederet, quod homo peccaret, similes sibi omnes vel meliores æstimans in innocentia vel natura; cum constitisset aliquem ex infirmitate peccasse, sic alienas deflebat culpas, vt proprias; illius imitatus exemplum, qui per compassionem vt proprijs vrebatur incendijs in defectibus alienis. [alios solo aspectu recreat:] Ex qua benignitate caritatis mirandus affectus ex solo eius

corporali aspectu videbatur oriri, vt nemo ipsum aliquamdiu alloquendo & conuersando potuisset aspicere, a quo non contingeret gratiam specialis consolationis haurire: vnde Frater Eufanon de Salerno, in toto Ordine Fratrum Praedicatorum celebris opinione & fama, consueuerat pluries dicere, quod quoties praedictum Doctorem cum affectu deuotionis aspiceret, toties ex eius aspectu & locutione gratiam laetitiae spiritualis hauriret, quod sine Spiritus sancti praesentia esse non poterat, de quo tanta gratia procedebat. Vnde ex diffusae caritatis eius radice fructus, & quidam pietatis liquor erumpebat in ramis. Nam erat miro modo compassius pauperibus, [pauperes adiuuat.] qui de suis tunicis & rebus tam abundanter indigentibus consuetus erat tribuere, quantum sibi necesse fuerat affectibus abundare; nihil sibi reseruans de rebus superfluis, qui sciebat esse danda ex praeepto Dominico supplendis defectibus alienis. De quibus ex scientia nihil sibi reseruabat in crastinum, quod sciebat esse in necessitatis articulo opus cuiquam.

## **CAPVT VII.**

**Naturalis propago & complexio corporis.  
Ingenium, iudicium, memoria. Contemptus  
temporalium. Abstractio mentis.**

[38] Et quamuis sit necessitatis recognoscere, virtutum omnium in praedicto Doctore Dei gratiam esse fontale principium, non est tamen omittendum dicere, [Sancta propagine genitus,] si naturalem eius propaginem quaerimus & inuenimus, ipsam esse naturalem virtutum eius moralium fundamentum: vt in omnibus Deus laudetur, qui naturam condidit, & ipsam per gratiam augmentavit. [matrem habuit deuotam & abstinentem:] Fuit enim praedictus Doctor ad has virtutes ex natalium suorum antiqua nobilitate dispositus, si generatio eius propinqua respiceretur, quae adhuc in memoria recens habetur.

Cuius Doctoris mater (vt hi, qui eam nouerunt, referunt) multæ dicitur deuotionis fuisse & abstinentiæ, quæ in manibus & genibus procumbens orationi callum induxerat, quæ terræ multiplicatis genu-flexionibus allidebat: quæ non meruisset talem habere filium, nisi eius placuisset oratio apud Deum. Soror etiam huius Doctoris Domina Theodora, mater Domini Thomasij a de S. Seuerino Comitibus Marsiti, cuius est cum laudibus recens memoria ad exemplum, tantæ dicitur fuisse pietatis in alios, [sororem pauperibus addictam, sibi duram,] quod quidquid habere poterat pro necessarijs suæ personæ, modicis contenta, in operibus misericordiæ effundebat. In se vero tantæ asperitatis fuisse dicitur, vt magnam partem nocturni temporis, alijs concessi ad otium, durissimis disciplinis de vna catena ferrea se verberans sibi conuerteret in tormentum: quæ sensu erat prouida, dispensatione magnifica, & promissione discreta, in omnibus virtutibus, in quibus se exercere poterat, singularis. Cuius corpus post felicem suum obitum, [a morte incorruptam:] cum fuisset ad locum alium pro sua veneratione translatum, inuentum est integrum, & magnum odorem astantibus reddidit, qui sanctitatis suæ certum testimonium & fidem dedit. Cui virtuosæ propagini, quæ in Sanctorum memoria transijt, viuens adhuc dictæ Sororis filius & dicti Doctoris nepos, prædictus Dominus Thomasius Comes Marsiti, fidem facit. Qui dum dictarum virtutum reddit odorem, prædictæ se ostendit esse sanctæ generationis hæredem: [nepotem & fratres factis illustres,] vt non videatur dicti Doctoris generatio in bonitate fuisse nouitia; quæ fuit in nobilitate moris & generis, in stipite & in ramis longa præcedentium temporum antiquitate professa. De cuius etiam Doctoris fratribus, magna referuntur de probitatibus animorum, qui pro defensione & zelo sanctæ Matris Ecclesiæ ab Imperatore Frederico sustinuerunt exilium, & quidam ex iis pro fidelitate tormentum.

**[39] De naturali etiam dicti Doctoris dispositione corporis, sicut & mentis, dicitur, quod fuit magnus in corpore & rectæ staturæ, [corpore & capite magnus,] quæ rectitudini animi respondet: coloris triticei, ad temperatæ eius complexionis indicium: magnum habens caput, sicut virtutum animalium perfectiones, quæ rationi deseruiunt, organa perfecta requirunt: aliquantulum caluus. Fuit tenerrimæ complexionis in carne, sicut aptitudo eius intelligentiæ indicabat in mente. Fuit virilis robore, cum se ad aliquos actus virtutis corpore exercebat: qui etiam virtute animi nihil timuit, [imperterritus in tempestatibus:] nihil abiectum pia humilitate despexit; & propter hanc causam in coassistencia diuina confidit: de quo etiam dicitur, quod vadens Parisios, cum in mari horrendam pateretur ex aëre tempestatem, nautis etiam mortem timentibus, ipse imperterritus in tota tempestate permansit: vt videretur Deus tam nobile corpus & organum præparasse, quod ad actus virtutum seruiret obediens, quod numquam esset rationis iudicio contradicens. In terroribus autem aëris, tonitruui & tempestatis, quasi pro scuto opponendo se muniens Crucis signo, dicebat: Deus in carnem venit, Deus pro nobis mortuus est.**

**[40] Et quia Doctoris prædicti animum nulla sensualis passio perturbabat, nullius rei premebat affectio temporalis, [ingenio subtilis,] nec vllius honoris inflabat ambitio; consequens erat, vt subtilis esset ingenio, & Spiritus sapientiæ Dei subtilis intellectum eius acueret, in quo per gratiam habitaret. Vnde fertur dixisse aliquando familiari locutione studentibus, [intelligit quæ legit.] non ad ambitum inanis gloriæ, sed ad præconium diuinæ laudis & gratiæ, quod numquam librum legerat, quem diuino adiutus Spiritu non intelligeret, & ad profundum libri mysterium non veniret. Dignum namque erat, vt ex quo eum diuinorum scrutationi diuina providentia ordinarat, vt desideriorum iure diuinus Spiritus nihil**

absconderet: sed ei, quod sacræ erat doctrinæ necessarium, reuelaret. Erat enim diuinæ Sapientiæ organum, per quod Deus voluit suum reuelare secretum. Cuius ingenij subtilitatem, acumen intelligentiæ, & velocitatem definitiuam iudicij satis ostendit multitudo librorum, quos edidit, & sententiarum nouitas, quas inuenit: vt vix possit aliquis, quantumcumque magni ingenij, & solertis studij libros, quos edidit studens ad honorem perlegere, quos ipse potuit paruo tempore perquirere & dictare.

[41] Et quia ad subtilitatem ingenij sequitur iudicij certitudo, [Eximius iudicio,] dum intellectus, quod potest subtilitate capere, valeat etiam quod verum est iudicare; ideo conueniens fuit, vt prædictus Doctor, sicut subtilis ingenij fuisse dicitur, sic & certi iudicij fuisse eidentissime iudicetur. [patitur inuidiam] Nam opiniones & rationes, quas adhuc Bacellarius adinuenit, paucis exceptis, Magister effectus scripsit, tenuit, & defendit. Vnde cum scripta eius ex occulta & mirabili Dei dispositione examinationi exposita essent Parisijs, quorundam Magistrorum æmula inuidia procurante, quasi de luce auderent noctuæ iudicare, & per hoc scripta eius magis in veritatem clarescerent, dum in eis, quod in veritate arguerent, non haberent; quidam Magister Eremitarum Frater Ægidius, qui postmodum fuit Archiepiscopus Bituricensis, qui tredecim annis istum Magistrum audiuerat, [aliorum Doctorum:] de prædicto Doctore dixit, deridendo insufficientiam correptorum: In hoc mirabili & digno memoria Doctore Fr. Thoma de Aquino fuit sui subtilitatis ingenij, & certitudinis iudicij manifestum indicium, quod opiniones nouas & rationes, quas scripsit Bacellarius, Magister effectus, paucis exceptis, nec docendo, nec scribendo mutauit: nos autem moderni temporis, sicut incerti & dubij iudicij, opiniones, quas aliquando tenuimus, in contrarium arguti modico argumento mutamus. Vnde & hi, qui scripta examinant,

non intelligentes quæ iudicant, solius inuidiæ stimulatione laborant, & in lucem muscæ insiliunt, dum quod arguunt non cognoscunt; & tenebrescunt ex lumine, dum de ignota eis non bene sentiunt veritate: vt de eis iuste possit Ecclesia conqueri & dicere id Psalmistæ: [sed maior inde efficitur.] Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis: turbati sunt omnes insipientes corde: quæ videtur petere, vt Deus iusto iudicio æmulos veritatis percutiat, dum prædictus Doctor doctrina diuinitus inspirata coruscat: vt luce, qua Sanctus instruitur, inuidus cognitione priuetur. [Ps. 75, 5] Sicque factum est diuino miraculo, vt vnde Doctori sancto detrahitur, inde Deo & Sancto eius gloria cumuletur.

[42] Et quia nulla passio eius turbabat animum, qui continuum diuinorum scibilium recipiebat influxum, [Magnæ memoriæ,] maiori enim interuallo a contactu temporalium rerum erat abductus, quam vt vlla passione turbaretur eius affectus. Fuit consequenter prædictus Doctor modo mirabili memoria retentius, tantæ capacitatis & retentiæ virtutis existens, vt hoc quod legendo semel caperet, perpetuo retineret: vt videretur in eius anima continue fieri scientiæ habitus & influxus. Et ideo nulla in eius animo poterat fieri obliuio, in quo fieret continue scibilium certitudo. Cuius mirandæ memoriæ certum erat indicium non solum scientiæ habitus, quem habebat sic collectum in animo, [Sanctorum dicta retinet:] quasi exemplatum haberet in libro; sed & illud opus mirabile, quod ad præceptum Papæ Urbani felicitis memoriæ super quatuor Euangelia de Sanctorum dictis composuit: quia perlegens in diuersorum monasteriorum libris, pro maiori parte creditur ita memoriæ commendasse, quasi Sanctorum dicta haberet præ oculis, quæ legisset in libris.

[43] Et quia de necessitate sequitur, vt terrena homo despiciat, quem affectio diuina decorat: ideo conueniens

fuit, vt prædictus Doctor mundana despiceret, [contemnit diuitias & honores:] qui non inueniret in sensibus, quod amaret: cum de ipso dicatur, quod mirabili modo fuit temporalium contemptiuus; siue rerum, quibus homo pro necessario victu corporis vtitur, siue horum, quorum dignitas prælationis ambitur. Sic enim diuina Sapientia, quæ melior est cunctis opibus, quam sibi a iuuentute sponsam acceperat, ipsum inebriauerat caritate, vt nullum mundanum eius mentem alliceret, qui in vno bonorum omnium sufficientiam possideret. Qui cum concessa bona contempsit quæ habuit, non concupiuit non habita: sed magnitudine animi despexit oblata, & oblitus eorum quæ retro sunt, cuncta reliquit, & ad anteriora se extendens, quæ obtinuit, dilexit. Cum enim esset de nobili genere, & rerum temporalium copiam & honorum gloriam potuisset ambire; diuitias magis sibi computauit & gloriam, pauperem Christum & humilem imitari, quam diuitijs affluens, gradum temporalis gloriæ obtinere sublimem. De quo dicitur, [præ vrbe Parisiensi optat Homilias S. Chrysostomi super Matthæis:] quod semel veniens de S. Dionysio cum suis studentibus, quo iuerat Sanctorum reliquias & sanctum illud monachorum collegium visitare; & vidisset de propinquo ciuitatem Parisiensem, dixerunt ei studentes: Magister, videte quam pulchra est ciuitas Parisius: Velletis esse Dominus huius ciuitatis? Credebant enim ab eo aliquod verbum ædificationis audire. Qui respondit: Libentius vellem habere Homilias Chrysostomi super Euangelium S. Matthæi. Ciuitas enim hæc si esset mea, propter curam regiminis contemplationem mihi diuinorum eriperet, & consolationem animi impediret. Sic enim est quod quanto quis amplius amore temporalium premitur, tanto periculosius a cælestibus separatur. Sciebat enim prædictus Doctor, quod nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit, & ideo implicare se nolebat seculo, qui se probauerat in addiscendi studio Deo placuisse, ne si iam missa manu ad

aratrum, auscultando sacrarum litteras Scripturarum, retro ad ea, quæ reliquerat, conuersus aspiceret, ad anteriora non redderetur idoneus, quæ amaret. Et ideo oblatas sibi plures dignitates & redditus a B. Clemente IV, [a Clemente IV redditus & honores oblatos non admittit:] Summo Pontifice, qui dictum Doctorem nimis carum habebat, ille simul renuit redditus & honores, sua paupertate & humilitate contentus. Cum tamen prædictus Doctor omnes sui generis propinquos & nobiles sub persecutione Frederici Imperatoris pro causa Ecclesiæ haberet in Campania confusos: quibus ad subueniendum bonis etiam Ecclesiasticis de licentia Summi Pontificis mouere eum poterat naturalis affectio, & ad tam nobiles pro causa Ecclesiæ exules caritatis debita gratitudo: qui sicut pro amore Dei necessitates sustinuit proprias, sic sustinere potuit alienas. [imo nec Archiepiscopatum Neapolitanum.] Simile alias perfectionis exemplum & humilitatis ostendit, qui accepta Bulla ab eodem Pontifice de promotione sua ad Archiepiscopatum Neapolitanensem, cum additione reddituum monasterij S. Petri ad Aram, dignitatem accipere noluit, & quod Summus Pontifex vltterius non promoueret eum ad alia, suppliciter exorauit. O felix Doctor, contemptor seculi! o amator cæli; qui fecit quod docuit; qui sic terrena despiceret, quasi pignus haberet possessionis cælestium, quæ speraret.

[44] Fuit præterea prædictus Doctor miro modo contemplatiuus, [Abstractus a sensibus etiam in conversatione:] & cælestibus deditus, maiori enim sui parte a sensibus aberat, qui totus cælestibus inhiabat, vt crederetur verius esse, vbi mente intenderet, quam vbi carne maneret. Erat enim mirabile, videre hominem, vti sensibus, & conuersari cum sensilibus in cibo vel aliquorum consortio, quantumcumque nobilium personarum, in quibus sensus consueuerunt distrahi, subito cælestibus eleuari: quasi non esset, vbi

corporaliter sisteret, sed vbi mentaliter inhæreret. De cuius miranda & inaudita distractione mentis & contemplatione dicitur, quod cum semel S. Lodouicus Rex Franciæ ipsum ad mensam suam inuitasset, & ipse se humiliter excusasset propter opus Summæ in Theologia, quod dictaret tunc temporis. Obtinente autem mandato Regis & Prioris Parisiensis, vt Magistrum humilem inclinaret, sublimem contemplatione, ad expressum mandatum Regis & Prioris, [imo & mensa Regis,] dimisso suo studio cum illa imaginatione, quam manens in cella conceperat, accessit ad Regem: iuxta quem existens in mensa, subito veritate fidei inspirata, mensam percussit & dixit: Modo conclusum est contra hæresim Manichæi. Quem Prior tetigit, & dixit: Aduertatis Magister, quia nunc estis in mensa Regis Franciæ, & traxit eum per cappam fortiter, vt abstractum a sensibus excitaret. Qui quasi ad seipsum rediens, inclinans se ad sanctum Regem, rogauit, vt ei parceret, qui distractus in mensa Regia sic fuisset. De quo Rex plurimum admiratus est, & ædificatus a Magistro, quod, cum esset nobilis, & posset ipsum tanti Regis inuitatio delectare, & a contemplatione distrahere, præbuit in eo mentis abstractio, vt eleuatum in spiritu, sensus eum non deprimeret in convictu. Fuit autem sanctus Rex prouidus, vt meditatio illa, quæ potuit mentem Doctoris distrahere, contingeret non perire. Vnde vocato Scriptore suo, voluit quod coram eo redigeret in scripto, quod Doctor conseruauerat in secreto; quamuis apud Doctoris memoriam nil penitus deperiret, quod influebat diuinus Spiritus, vt seruaret. Simile per omnia retulit Frater Raymundus Stephani, qui audiuit ab Archiepiscopo Capuano, qui fuit discipulus prædicti Doctoris. Quod cum quidam Cardinalis, qui tunc erat Legatus in regno, [& alloquio Cardinalis,] audisset de eo prædicta & alia miranda, dixit prædicto Archiepiscopo: Ordinatis quod cum prædicto Magistro habeamus familiare colloquium. Qui cum vocatus de suo studio descendisset, & tamen in sua abstractione maneret, cum

expectassent ipsum diutius sic abstractum, subito Doctor ostendit faciem hilarem, indicantem mentis lætitiā, & dixit: Modo habeo quod quærebam. [& Archiepiscopi Capuani.] Qui cum nullum signum ad eos reuerentiæ ostenderet, Cardinalis cœpit ipsum despicerē, quem aspiceret sic manere. Cui dixit Dominus Archiepiscopus: Domine, non miremini, quia frequenter sic abstrahitur, vt cum quibuscumque personis fuerit, non loquatur. Et tunc traxit ipsum fortiter per cappam, qui quasi de somno contemplationis euigilans, & aduertens se esse inter tantos, inclinans se reuerenter ad Dominum Cardinalem petiuit veniam, quod abstractus diutius reuerentiam debitam eis non fecisset. Interrogatus autem cur in illa abstractione tam lætam faciem ostendisset, dixit: De quadam quæstione, super quam diu cogitaueram, nunc pulchram rationem inueni, de qua gaudium animi manifestauit exterior lætitiā, quam ostendi.

### Annotata

Idem, Reynaldus Stephani eiusdem Ordinis de provincia Tolosana, [Reynaldus Stephani miraculis clarus.] qui duobus diebus ieiunauit in pane & aqua, & propter fidem Christi perlustrans Persidem & Indiam, prædicabat: qui nuper ad Armenos ex parte Summi Pontificis missus est, vt eos ritum Ecclesiæ Romanæ doceat, & duriores prædicando conuertat: qui adhuc pluribus dicitur miraculis claruisse. Qui audiuit ab Archiepiscopo Capuano, qui fuit discipulus prædicti Doctoris. &c. Necdum reperimus inter Beatos aut viros sanctitate illustres hunc virum Apostolicum.

### CAPVT VIII.

#### Reuelationes, Visiones, Prædicationes.

[45] Et quia sic prædictus Doctor de rebus sensibilibus erat abstractus, a quibus per contemptum erat totaliter

alienus; consequens fuit, [In visione intelligit sororem esse in purgatorio,] vt dum plus cælestibus quam terrenis inhiaret, plures cælestium ciuium consolationes haberet. Vnde fertur quod ipso existente Parisijs, apparuit ei imaginaria visione soror sua: quæ cum diceret se esse in purgatorio, certum Missarum numerum petiuit, per quem sperabat liberari Deo propitio & eius interuentu. Qui vocans studentes rogauit, vt pro sororis suæ anima Missas dicerent & orarent. Quæ postmodum, cum prædictus Doctor esset Romæ, iterum in visione ei apparuit, & se fuisse liberatam a purgatorio, & frui gloria, [& dein liberatam:] dictis Missis, quas petiuerat, reuelauit. Qui Doctor cum de se quæreret quid esset, illa respondit: Tu frater es in bono statu, & cito venies ad nos: sed maior tibi gloria parata est quam nobis. Tene tantum, quod habes. Cui quærenti de fratre suo Landolfo respondit, quod erat in purgatorio: de Domino vero Raynaldo alio fratre suo dixit, quod erat in Paradiso: de quo habuit hanc visionem, quod ostenso sibi libro per Angelum, qui scriptus erat lineis aureis & Azuriis, nomen fratris Doctor reperit, inter lineas aureas, quæ erant Martyrum, [vti & statum fratrum,] quia pro fidelitate Ecclesiæ morienti sub tyrannide persecutionis Frederici Imperatoris sibi mors computata fuit ad martyrium, quod apud Deum fuit meritorium & acceptum.

[46] Alia fuit mirabilior dicto Doctori visio reuelata, non imaginaria, sed corporalis & aperta: cui existenti in conuentu Neapolitano in Ecclesia ad orandum, apparuit ei Frater Romanus Magister in Theologia, [colloquitur cum quodam,] quem Parisijs legentem dimiserat: cui cum adesset Frater Thomas, & diceret: Bene veneritis. Quando venistis? Ille respondit: Ego ex hac vita transiui, & concessum est mihi pro tuo merito apparere. Tunc prædictus Doctor colligens spiritum, qui fuerat ex subita illa apparitione commotus, [iam e cælo accedente,] respondit: Ex quo Deo placet, ex parte ipsius te adiuro, vt

ad quæsitâ respondeas. Quæro, de me quid est? Et si Deo placent opera mea? Et respondit: Tu es in bono statu & placent opera tua Deo. Tum Doctor intulit. Quid est de te? Respondit: Ego sum in vita æterna, & fui in purgatorio sedecim diebus propter negligentiam, quam commisi in quodam testamento, quod expediendum cito Episcopus Parisiensis commisit, & ego expedire ex mea culpa tardavi. [& varia inquiri.] Tunc addidit: Quæro quid est de illa quæstione, quam frequenter disputauimus: vtrum habitus in hac vita acquisiti maneant in patria? At ille respondit: Frater Thoma, ego video Deum, & nihil aliud de hac quæstione petatis. Et iterum petiuit ab eo: Ex quo vides Deum, dic mihi si videas Deum sine media specie, vel mediante aliqua similitudine? Tunc respondit: Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, & statim disparuit. Qui Doctor remansit ex tam mirabili & insolita apparitione attonitus, & de placida responsione iocundus. Felix Doctor, cui tam familiaria sunt secreta cælestia, quem tam familiariter ciues cæli præueniunt, & ad cælestia regna perducunt.

[47] Habuit etiam prædictus Doctor aliam visionem propheticam & imaginariam. Nam cum Neapoli esset In Choro, dum diceretur Missa conuentus, portarius quemdam Fratrem de choro vocauit ad portam: cui cum exhibitus fuisset pastillus, vt ipse in cella sua diligenter deponeret, redijt ad chorum: vbi cum cogitaret quomodo solus pastillum suum posset comedere, & non teneretur alios inuitare, [Videt tentationem alterius & dæmonem saltantem:] quietus in choro esse non poterat, quia ipsum tentatio perurgebat. Cuius inquietudinis caussam prædictus Doctor videns in spiritu, tentatum Fratrem vocauit ad se, & dixit ei: Frater attende quid cogitas: illud de quo tentaris, non impleas. Qui, cum diceret; Magister nihil aliud cogito, quam audire Missam, quæ modo dicitur. Magister dixit, Dic mihi ad quid fuisti de choro vocatus. Tunc ei seriatim narrauit facti seriem, &

tentationem, quæ mentem eius anxie perurgebat. Tunc Magister, Dæmonem, inquit, vidi coram te saltantem, & ostendentem tibi pastillum tuum, & caue ne solus commedas; sed alijs Fratribus, ex caritate dispensa. De quo Frater admiratus, Deo reddidit gratias & Magistro, per quem fuerat a tentationis periculo liberatus.

[48] De hoc etiam Doctore dicitur, quod existens in S. Seuerino, castro sororis suæ cum prædicto socio suo & alijs Fratribus sui Ordinis, per magnum spatium sui temporis passus fuit extasim, ita vt a sensibus totaliter videretur abstractus. [in abstractione mentis videt miram doctrinam:] De quo cum soror sua præcipue turbaretur, quæsiuit ab eius socio, quid hoc esset, quod suo Fratri subito accidisset. Qui dixit ei: Frequenter in spiritu rapitur, cum aliqua contemplatur: sed ex toto tempore, sicut nunc, numquam vidi ipsum sic a sensibus alienum. Vnde post aliquam horam iuit socius ad Magistrum, & trahens ipsum per cappam fortiter, quasi a somno contemplationis ipsum vltimo excitauit. Qui suspirans dixit: Raynalde fili, tibi in secreto reuelo, prohibens ne in vita mea alicui audeas reuelare. Venit finis scripturæ meæ, quia talia sunt mihi reuelata, quod ea, quæ scripsi & docui, modica mihi videntur, & ex hoc spero in Deo meo, quod sicut doctrinæ, sic cito finis erit & vitæ. Sicut enim Deus ille mirabilis his, qui præcipui fuerunt in Lege S. Moysi, [& nihil amplius scripsit,] qui Legem iustitiæ ludæis attulit, & Paulo qui Gentibus legem gratiæ prædicauit, supra humanum intellectum plurima reuelauit; sic & huic S. Thomæ, qui de manu sedentis in throno vtriusque legis libellum inuolutum accepit, & apertum toti Ecclesiæ exponendo porrexit, aliud supernaturale lumen ingenij reuelare placuit, vt maiora superesse crederet, quæ naturali intelligentia non videret. Felix Doctor, cui præsentia non sunt abscondita, & reuelata futura; cui datum est ex his, quæ meruit scribere, potiora videre; vt ex confessione præsentium, certior ei fieret expectatio

futurorum. Tanta autem erat huius Doctoris mentis abstractio, vt interdum non perciperet se lædi etiam a corporali læsiuo. Vnde semel cum esset de consilio medicorum consultum, quod in tibia portaret cauterium, dixit socio suo: Cum venerit, qui ignem debet apponere, facias me ante præscire. [abstractus non sentit vri sibi cauterium,] Quod cum fieret in lecto, quo cauterizandus erat, se præparans extenta tibia, tanta fuit abstractione leuatus, quod appositione ignis cauterium non percepit: cuius signum fuit, quia de loco, vbi tibiam extenderat, non mutauit. Aliud simile mirandæ abstractionis miraculum visum est. Cum semel prædictus Doctor esset in camera sua & summam tractuum de Trinitate dictaret, accepta vna candela in manu, dixit scriptori suo. Quidquid videas in me, caue ne voces, [aut a candela digitos:] & tunc in contemplatione abstracto, candela post horam consumpta est vsque ad digitos, quibus ignem candelæ diutius adhærere Doctor non sensit; sed ipsum ignem sine aliquo motu digitorum sustinuit, donec defecit. Simile Parisijs de eo visum fuit, cum oportuisset fieri sibi minutionem, vt antequam minutor ad percutiendam venam accederet, de abstractione ad contemplationem mentis a sensibus prouideret, [aut venam aperiri:] & tamen secure minutor venam percutiens Fratri Doctori imaginationem non poterat lædere, quem contingebat abstractum sensibus inuenire. Erat enim miro modo passibilis, & ideo subito læsiuo corporis turbabatur. Vnde diuinitus fuit ei miraculose concessum, vt in corpore passibili viueret, & aliquando læsiuum corporis non sentiret.

[49] Et quia sic erat Doctor mirabilis eleuatus ad Deum, sic caritate diffusus ad proximum, prædicationes suas, quibus placeret Deo, prodesset populo, sic formabat, [pro concione vtilia dicit:] vt non esset in curiosis humanæ Sapientiæ verbis, sed in spiritu & virtute sermonis, qui euitatis in prosecutione sermonis, quæ curiositati potius

quam vtilitati deseruiunt, in illo suo vulgari natalis soli, quod propter continuum mentis raptum mutare non potuit, proponebat & prosequabatur vtilia populo, subtilitates quæstionum scholasticæ disputationi relinquens: qui tam reuerenter audiebatur a populo, quasi sua prædicatio prodiret a Deo. Quod autem dicebat ore, implebat opere: non autem audebat aliquid dicere, nisi quod Deus dedisset eum implere. Admirabatur autem plurimum, vt eius ore frequentius est auditum, quomodo aliquis, & præcipue religiosi, possent de alio nisi de Deo loqui, aut de his, quæ ædificationi animarum deseruiunt. Vnde mos ei erat adhuc in illa sua tenera iuuentute, quod communi etiam locutione, si ij, cum quibus ad aliquam de Deo & ordinabilibus in Deum e ... ora sua laxassent, statim de locutorio ab quorumcumque consortio recedebat, [& de Deo loquitur.] quasi ad eum non pertineret locutio, quæ ædificationem non saperet proximi; vel si loquentes de Deo non dicerent, quæ sunt Dei: sic enim in illo auditorio verbi Dei se disposuerat, vt aut aliquid scriberet vel doceret, vt ipse in seipso quodammodo gyrum perficeret: vt a se in Deum suæ mentis motum orando inciperet, & a Deo ad proximum docendo finiret, a quo in Deum contemplando & orando consurgeret, vnde iterum sui motus circulum inchoaret.

[50] De huius Sancti multiplici & mirabili varietate & virtutum claritate eius historia fuit cuidam Fratri veraciter in somnis ostensa. [Vita eius reti argenteo,] Qui cum cæpisset mente sollicitus, affectione deuotus, cogitare, quomodo posset conuenienter texere dicti Sancti historiam, tot mirandis indicatijs claram, & laudum præconijs in veritate diffusam, quæ contineret originale principium, vitæ processum, disciplinæ scholasticæ studium & obitum in fine beatum, & super his Deum oraret, vt infunderet, & S. Thomam, vt scribendi ei sufficientiam impetraret; circa auroram post prædictum oraculum soporatus, [lapidibus pretiosis intexto

comparatur.] vidit in somnis coram se rete argenteum, contextum catenulis argenteis cum diuersorum colorum lapidibus pretiosis, in ipsius retis nodis mira varietate contextis. In qua visione cum intelligeret in illo reti ex lapidibus pretiosis vitam & virtutes prædicti Doctoris specialiter designari, cogitabat in somnis, qui lapides quibus possent adaptari virtutibus, vt diuersis lapidibus diuersæ etiam virtutes congrue responderent. In qua visione diu delectatus, euigilans redijt ad historiam, quam inceperat, prosequendam: quare nulli est dubium totam vitam dicti Doctoris fuisse ex apparitione quasi argenteam, conuersione scilicet candidam, actione mundissimam, & doctrina sonoram. Quæ ideo quasi retis similitudinem habuit, quia vita doctrinæ in omnibus concordavit: in quo reti tot visi sunt inserti lapides, quot in anima fuerunt diuinitus inspiratæ virtutes. Cuius vita Doctoris designari non incongrue potest in Rationali iudicij, in quo intexti erant duodecim lapides pretiosi, quod portare debebat Summus Pontifex ante pectus, in quo doctrina & veritas scripta erant: quia dicti Doctoris vita veritate præfulsit, & Dominus noster Summus Pontifex dum ipsam in conspectu & affectu, quasi in Rationali iudicij, habuit, factam potestatem Canonizationis titulo approbavit.

### **Annotata**

**Azurius color, est cæruleus, Italis Azuro.**

**Diminutium a Pasta, quæ est farina subacta, vnde artocrearum aliorumque dulciariorum crustulæ conficiuntur; quod hic Pastelli, at nunc Pasticij nomine significatur ab Italis, Francis Paste, Hispanis Pastelo.**

### **CAPVT IX.**

**Miracula nonnulla in vita facta.**

[51] Dicuntur etiam de prædicto Doctore eius meritis a Deo plura facta miracula, quæ subduntur. Nam cum prædicti Doctoris socius pateretur febrem continuam, [Febris pellitur,] venit ad eum Thomas, vt sua visitatione infirmum reficeret, atque in Domino confortaret: quem cum ad patientiam induxisset, consuluit, vt ad S. Agnetem specialem deuotionem conciperet, a qua beneficium valetudinis pro certo speraret. [admotis reliquijs S. Agnetis.] Cuius merita apud Deum cum prædictus Doctor implorasset, reliquias dictæ Sanctæ, quas ad pectus suspensas ex deuotione portabat, orans supra pectus infirmi posuit, & infirmus sanus & hilaris in lecto resedit. Quod miraculum aliqui attribuerunt magistro oranti, alij vero prædictæ Virgini, sed melius dicitur vtriusque meritis esse factum: vt vtriusque ad Deum preces ascenderent, & infirmo sanitatis gratiam Virgo sancta, mota Doctoris precibus, obtineret.

[52] Dicitur etiam de prædicto Doctore, quod Parisijs in scholis cum deberet determinare in crastino coram Vniuersitate, quam pridie disputauerat quæstionem; surgens de nocte, vt consueuerat, ad orandum, percepit in ore suo supercrevisse vnum dentem superfluum, qui impedimentum præstabat non modicum ad loquendum. Quod cum prædicto socio indicasset, perplexus, quia hora non erat congrua ad remedium adhibendum, consuluit dictus socius, vt Vniuersitati diceretur in crastino, quod impedimentum Magistro acciderat, quod a determinatione eum totaliter excusabat, & tunc ordinaretur remedium, quod fieret dentis euulsio ferreo instrumento. [Dens ori innatus,] Super quo Doctor considerans Vniuersitatis scandalum, & quod imminere sibi poterat ex dentis auulsione periculum, dixit socio: [oratione facta decidit,] Nullum aliud remedium video de me, nisi quod Dei prouidentia me committam. Et accedens ad consuetum orationis locum, diu orando cum lacrymis beneficium petijt, & diuinæ prouidentia se

commisit. Quo orante instantius, dens ille superfluus sine aliquo dolore & violentia, tactu suæ manus leui motu euellitur, & Doctor ab impedimento locutionis totaliter liberatur. Quem dentem ad recolendum diuinæ beneficium pietatis, multo tempore secum detulit: quod obliuio mater ingratitudinis non deleret, & fieret ei semper maior in sua oratione fiducia, quæ sic fuerat velociter exaudita. Felix Doctor, cuius oris impedimentum Deus diutius ferre non potuit, sed exuberantia doctrinæ repleuit, ne lingua Doctoris ad expressionem verbi deficeret, quam Deus ad instructionem fidelium doceret; & sine dolore dens caderet, quem Doctor innocens non sentiret.

[53] Aliud admirandum diuinæ virtutis prodigium prædicto Doctori dicitur diuinitus esse monstratum. [rogatus a Doctoribus Parisiensibus,] Nam cum Magistri Parisienses diuersas rationes adinuenissent super quæstione de dimensionibus Corporis Iesu Christi, & de accidentibus existentibus sine subiecto in Sacramento ipsius Corporis & Sanguinis, quorum accidentium probat euentiam sensus, & sine subiecto existentiam suadet fidei intellectus, & dicti Magistri super modo docendi hoc mysterium discordarent, in hanc omnes sententiam conuenerunt, vt quidquid super hoc prædictus Doctor Frater Thomas diceret, & sententialiter definirer, hoc ab omnibus teneretur vt verum, & consonum fidei, [explicat modum existentiaæ,] & persuasibile ratione: de quo experti fuerant in alijs, quod subtilius in omni quæstione veritatem attingeret, & clarius edoceret: super qua quæstione cum delata fuissent ad eum omnia in scriptis, quæ vnusquisque sentire videbatur, recollecto intra se spiritu & in contemplatione eleuato altius intellectu, præmissa more solito oratione deuota, quod inuenire potuit, & quod Deus ei dignanter infudit, quo breuius & clarius potuit, scriptura digessit. Quæ cum non præsumeret, vt in scholis coram Magistris proponeret,

[Christi in Eucharistia] nisi prius ipsum consuleret, de quo erat quæstio, quem orauerat, vt doceret; accedens ad altare, quaternum, quem scripserat de quæstione prædicta, ante se quasi coram suo Magistro posuit & eleuatis ad Crucifixum manibus sic orauit: Domine Iesu Christe, qui in hoc Sacramento mirabili veraciter contineris, & res mirabiliter operaris vt artifex, in quo te quæro intelligere, & te veraciter edocere, rogo suppliciter, vt si ex te & de te sunt vera, quæ scripsi, concedas mihi illa dicere & aperte disserere. Sin autem aliquid scripsi, quod non sit fidei tuæ consonum, & ab huius sit Sacramenti mysterijs alienum, impediās ne possint procedere, quæ videntur a fide Catholica deuiare. Quem Doctorem orantem cum prædictus eius socius cum aliquibus alijs Fratribus obseruaret, [a Christo apparente approbatum.] subito viderunt Christum ante dictum Doctorem super quaternum, quem scripserat, stare, & Fr. Thomæ dicere: Bene de hoc mei Corporis Sacramento scripsisti, & de quæstione tibi proposita bene & veraciter determinasti: sicut ab homine in via potest intelligi, & humanitus diffiniri. Quo diutius in oratione perdurante, quem intellectualis non sensualis visio delectabat, visus est Doctor prædictus, quasi per vnum cubitum eleuari in aërem, quem tanta virtus contemplationis erexerat, & diuina assistentia attrahebat. Ad quod prodigium intuendum Priorem conuentus, & plures alios Fratres, quibus reuelatum erat hoc mirabile, pro testimonio vocauerunt. Qui venientes viderunt, & pluribus alijs retulerunt, inter quos fuit Frater Martinus Scola de prouincia Hispaniæ, vir magnæ deuotionis & famæ, qui audiuit a Fratere, qui prædictam vidit mirabilem visionem, qui eam in conuentu S. Maximini prædicto Fratri & eius socio, qui pro Canonizatione prædicti Doctoris ad curiam accedebant, coram pluribus retulit, & certa attestacione firmavit, reputans quod ad Dei & Sancti gloriam cederet, si quod de tanto Doctore audiuerat, reuelaret. Qui Doctor cum mirifice certus esset effectus de definitiua propositæ

quæstionis veritate, tam lætanter & lucide quæstionem propositam coram Vniuersitate proposuit, quia euidenter Christus, de quo erat quæstio, Doctorem suum de veritate plenius illustrauit.

[54] Aliud narratur de prædicto Doctore miraculum. Cum prædictus Doctor in Septimana sancta de Passione Domini prædicasset Romæ in ecclesia S. Petri, [Fluxus sanguinis attactu cappæ sistitur:] & populum ad lacrymas prouocasset, in die Dominicæ Resurrectionis in prædicatione induxit eos ad congaudendum gloriosæ Virgini de resurrectione Filij, sicut pridie fuerant de Passione compassi: qui cum descendisset post prædicationem de pulpito, mirabiliter quædam, quæ magno tempore sanguinis fluxum fuerat passa, nullo eam iuuante remedio medicinæ, cappæ sancti Doctoris fimbriam tetigit, & liberatam immediate a sua infirmitate se sensit: & sequens eum vsque ad conuentum S. Sabinæ, quod receperat beneficium Doctoris socio indicauit, qui postmodum pluries & pluribus recitauit. Felix Doctor, qui simili clarescit miraculo, vt Saluator: cuius dum fimbria vestimenti tangitur, infirma curatur, vt sciretur quantum meritum esset in eius anima, ex quo tanta virtus inueniretur in cappa.

[55] Et quia congruebat Sapientiæ Diuinæ consilio, aliquod insigne prodigium luminis singularem doctrinæ radium futuri præsignare Doctoris, [Stella visa ingredi eius cubiculum,] non defuerunt miranda, quæ prædictum Doctorem præirent, indicia futuræ eius sufficientiæ in scientia & vita. Nam semel cum prædictus Doctor in conuentu Neapoli tantum esset in sua camera debilis & recumbens in suo lecto; Fr. a Bonfilio de Neapoli, qui ei seruebat, absente, germanus seruatoris Sancti, tunc puerulus ad custodiam cameræ remanens, vidit per fenestram cameræ stellam fulgentem ad mensuram magnitudinis fenestræ ingredi, & super caput prædicti

**Doctoris aliquantum residere. [& supra caput residere:] Quod prædicto vidente puero post paullulum, vnde venerat, discessit: qui puer vsque ad hæc tempora senex & in bona valetudine superuixit, hoc prodigium referens, quod coram infrascriptis Inquisitoribus sub iuramento deposuit, & pro veritate firmavit. Nec debuit prædictus Doctor nisi lumen stellæ habere præsagium, qui effusus erat toti Ecclesiæ fulgens Christianæ Fidei documentum.**

**[56] Aliud de prædicto Doctore in præfato conuentu diuinitus fuit ostensum suæ sanctitatis indicium, quod, sicut præcedens scientiæ, ita sequens testimonium fuit vitæ Nam quamuis prædicto Doctore ex pugna, quam cum aduersario in carcere habuit, remansisset triumphus victoriæ, quem petiuit, vt iam hostis erubesceret iterum conflare cum Doctore; procax tamen & audax toties deuictus a puero, inire bellum sæpius non erubuit cum Magistro: vt non expauescat cum hoste iterum miles conflare, quia bis deuictus in prælio, Dominum non renuit tertio in deserto tentare: qui deuictus repellitur, vt sciant Christi fideles, quod hostis, cui resistitur, superatur. Hoc vidit Iudex Ioannes de Blasio de Neapoli, cum esset iuuenis, devotus Fratrum & prædicti Magistri: cui fuit visus in forma Æthiopis cum ad prædicti Magistri cameram tentaturus accessit, & Magister eum signo Crucis opposito, [dæmon instar Æthiopis accedens signo Crucis pellitur.] & etiam clamando fugauit. Erat enim prædictus Doctor a tribus vijs, quibus ad humanum genus hosti patet introitus, diuina virtute inuictus, a carnis concupiscentia accinctus erat iam diuinitus manu Angelica cingulo castitatis; a concupiscentia oculorum ipsum delectatio diuinæ contemplationis avulserat, quem a vitæ superbia tentatum humilitas extolli nullatenus permittebat. Erat enim conueniens prouidentiae summi Patris, vt suæ Sapientiae scrutatorem, speculatorem cælestium, & clavicarium omnium dubiorum in omni tentatione defenderet, & si pugnam admitteret, liberum tamen**

concederet ei obtinere victoriae de omni impugnatione triumphum: vt victor semper gloriosus consurgeret, quem nulla aduersarij tentatio superaret; & certus iam fieret de praemio, qui surrexisset de victo aduersario cum triumpho, & vita sua tota per se finiretur ad meritum, & alijs claresceret ad exemplum.

### CAPVT X.

**Morbus S. Thomæ, obitus, sepultura.**

**Miracula & visiones tum factæ.**

[57] Post hæc cum prædictus Doctor iret ad generale Concilium Lugduni celebrandum, de mandato Sanctissimi Patris Gregorij X, & portaret libellum, quem de mandato Urbani Papæ fecerat contra Græcos ad convincendum eos de ipsorum erroribus, & de scelere schismaticæ prauitatis; contigit ipsum ire per Campaniam; & ad castrum Magenæ, quod erat Dominæ Franciscæ neptis suæ, debilem declinare, vbi sic amisit totaliter appetitum, quod nullum cibum posset gustare. [Pisces sardæ mutantur in haleces,] Qui a Magistro Ioanne de Guidone de Piperno medico requisitus, si aliquem cibum appeteret, & de nullo cibo, nisi de halecibus, quos comederat in Francia, se diceret posse gustare, anxius est medicus, quod tanto Doctori infirmo non posset remedium adhibere, quia talis piscis non poterat inueniri. Qui egressus ad plateam castri, inuenit vnum, qui vnam sarcinam sardarum recentium de Terracena portabat. Quam cum ad terram deponi fecisset, vt, si aliqui pisces admixti essent sardis, perquireret, reperit vnam cistam de halecibus recentibus: de quo admirans medicus, quia numquam tales pisces fuerant in partibus illis visi, & quia portator piscium sardas se emisse sæpius asserebat, prædictos pisces Magistro deferri mandauit cum gaudio, credens ipsum consolari de prouiso sibi diuinitus cibo concupito. Doctor autem prouidus, & altitudinis diuini conscius, aduertens quod erat in grande miraculum suo

appetitui diuina pietate concessum, a renuens de piscibus comedere, dixit medico: Magister melius est, quod Diuinæ providentiæ me committam, quam quod de his piscibus diuina concessis potentia, quos nimio desiderio concupiui, manducare præsumam. De quibus piscibus, quia multi comederunt, & quia prædictus medicus multis retulit, qui adhuc in vita supersunt, miraculum mansit in tota regione illa vulgatum. O mirandum diuinæ pietatis indicium; qui sui deuoti etiam sensibilem reficere voluit appetitum, in signum quod numquam concesserat suo appetitui, quod se opponeret rationi. O admiranda in prædicto Doctore diuini beneficij gratitudo, qui dum experiri meruit diuinæ pietatis affectum, suum satiare renuit appetitum: secutus exemplum David, qui desideratam aquam gustare renuit, quam trium fortium probitas Dei miraculis procurauit.

[58] Post hoc cum prædictus Doctor fuisset aliquibus remedijs confortatus, vt videretur sibi, quod posset iter inceptum prosequi versus Romam, [deflectit ad monasterium Fossæ-nouæ,] iuxta monasterium Fossæ-nouæ transiens, inuitatus ab Abbate & monachis, volens ibi aliquibus diebus vires resumere, prædictum monasterium est ingressus cum comitiua decenti concurrentium & concomitantium monachorum. Qui cum primo ingressus fuisset ecclesiam, debita reuerentia sacro altari exhibita, claustum intrauit, vbi facta est super eum manus Domini, & tactus spiritu prophetiæ, dixit pluribus audientibus monachis & sui Ordinis Fratribus, & præcipue suo socio, cui consueuerat similia reuelare: Fili Raynalde, hæc requies mea in seculum seculi; [prædicat obitum:] hic habitabo, quoniam eligi eam. Felix Doctor, qui dum suum de ergastulo corporis præscire meruit exitum simul & aeternæ felicitatis ingressum, intellexit quod & ibi succederet sibi requies patriæ, vbi terminaret cursum viæ: & dum sibi in tali casu obedientiæ prosecutione non parceret, datum est ei, vt ad tribunal

superioris Iudicis, victurus in æternitate, transiret, simul præscius suæ quietis, ad vitæ principium & laboris terminum & occasum. Post quod propheticum dictum de suo obitu Fratribus, [experitur magnam caritatem:] sui Ordinis præcipue, lamentantibus, positus fuit Doctor in camera Abbatis, ceteris socijs, sicut exigebat necessitas, cum magno caritatis affectu collocatis. Vbi cum prædictus Doctor pluribus diebus grauatus amplius infirmitate decumberet; monachi cum tanta reuerentia & humilitate ei seruire cœperunt, vt & de silua proprijs humeris ligna deferrent; felices se reputantes, si sancto Doctori possent exhibere seruitium, qui adhuc viuens properabat ad regnum. Ipse vero Doctor prouidus in se & alijs compassius dicebat: Vnde hoc mihi, vt & serui Dei seruiant homini, & onus tantum de longe deferant, quo laborant? Qui licet admodum debilis esset, quia credebat, vt prophetizauerat, vt ex vita transiret, rogatus ab aliquibus monachis, qui capere poterant, vt aliquod memoriale suæ scientiæ eis in fine relinqueret, breuiter eis exposuit Cantica Canticorum: vt in hoc casu deficiente corpore a vita mortali, [exponit Cantica Canticorum:] anima illa non deficeret ab actu necessario doctrinali, & in Canticum cælestis gloriæ transiret studium Ecclesiasticæ disciplinæ. Et bene congruit prædicto Doctori transituro de ergastulo corporis, vt studium suæ sapientiæ in dilecti & dilectæ Canticum terminaret amoris, vt sicut ad Deum suum exercuit studium, sic ad habendum dilecti perueniret amplexum.

[59] Deinde cum cœpisset prædictus Doctor nimia debilitate deficere, & sui exitum de hac vita præscire, cum magna deuotione petijt exhiberi sibi Christianæ peregrinationis viaticum, [petit sacrum Viaticum,] sacrosanctum Christi Corporis Sacramentum. Quod cum fuisset cum reuerentia ab Abbate & monachis deuote portatum, & ipse prostratus ad terram, debilis corpore, fortis mente, suo Domino obuiam cum lacrymis

occurrisset, oblato sibi Corporis Domini Sacramento (cum fuisset ab eo petatum, sicut moris est, quod quilibet Christianus in vltimis examinetur de fide huius potissimi Sacramenti, si crederet quod illa Hostia consecrata esset verus Dei filius, qui exiuit de vtero Virginis, & pependit in patibulo Crucis, qui pro nobis fuit mortuus & die tertia resurrexit) libera voce, attenta deuotione, & cum lacrymis sic respondit: [profitetur fidem:] Si maior scientia, quam fidei de hoc Sacramento in vita hac haberi potest, in illa respondeo, quod verum credo, & pro certo scio hunc verum Deum esse & hominem, Dei Patris & Virginis Matris filium, & sic credo animo, & confiteor verbo, sicut Sacerdos proposuit de hoc sanctissimo Sacramento: & præmissis aliquibus deuotis verbis, sumendo Sacramentum prædixit: [sua scripta Ecclesiæ iudicio subiicit:] Sumo te pretium redemptionis animæ meæ, pro cuius amore studui, vigilauit, & laborauit, te prædicauit & docui, nihil vmquam contra te dixi, nec sum pertinax in sensu meo, sed si quid male dixi de hoc Sacramento, totum relinquo correctioni Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, in cuius obedientia nunc transeo ex hac vita. Dicitur de prædicto Doctore etiam, quod in eleuatione Corporis Christi etiam consueuerat dicere: Tu Rex gloriæ Christe, Tu Patris sempiternus es filius, vsque ad finem cum magna deuotione & lacrymis. Quo Sacramento suscepto, sic devote sibi ad meritum, alijs ad exemplum petiuit consequenter die altera sacræ Vnctionis oleum, [inunctus moritur,] exeuntium Sacramentum: vt ille vnctionis spiritus, qui eum præ participibus suis vnserat, ad cælum duceret, quo tendebat. Post paullulum autem suum spiritum Domino reddidit: quem sicut Sanctum susceperat, sic seruauit, qui tam lætanter exiuit de corpore, quam mirabiliter videbatur viuere extra corpus. Felix Doctor, qui tam leuiter cucurrit in stadio, tam viriliter pugnavit in prælio, vt valeat dicere cum Apostolo: Bonum certamen certavi, cursum consummaui, fidem seruavi, de

reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam vere sibi meruit ex studio inspiratæ doctrinæ. [2 Tim. 4, 7]

[60] [mox triplex stella in somno visa alicui,] Et quia tanti luminaris eclipsim, quam passura erat Ecclesia in huius Doctoris transitu ex hac vita, aliqua noua signa debebant præcedere, quæ viderentur felicem huius Doctoris transitum indicare; non defuerunt manifesta & iuste miranda indicia, quæ huius Doctoris demonstrarent exitum, & futuræ felicitatis ingressum. In hora enim transitus prædicti Doctoris monachus quidam prædicti monasterij orans in Ecclesia obdormiuit, & ecce visa est ab eo vna stella miri splendoris super monasterium cadere, & duæ stellæ ad ipsam combinatæ de cælo descendere, & post paullulum primam stellam, quam prius viderat, ad cælestia subleuare: quæ duarum stellarum videbatur splendorem attingere, & magnitudinem adæquare. Post quam visionem expergefactus, cum euigilasset a somno, audiens pulsare tabulam signum obitus Doctoris, [vti & cometa ante obitum.] qui in hora prædictæ visionis obierat, intellexit primam stellam huius designare animam Doctoris, quæ tunc de corpore exijt, & cælum cum alijs duabus sociata conscendit. Aliud signum in ipso monasterio visum fuit, nam quædam stella per modum cometæ tribus diebus ante prædicti Doctoris obitum super monasterium visa fuit, quæ cum ignoraretur quid significaret, dum apparuit, ostendit præfati Doctoris obitum, dum cessauit.

[61] Et quia prædictus Doctor ad S. Paulum Apostolum specialem deuotionem habuit, qui ei cum S. Petro textum Scripturæ dubium, vt prædictum est, [Neapoli hora mortis in somno] reuelauit; in morte Apostolica consolatione non caruit: nam ipso migrante in Fossa-noua, Fr. Paulus de Aquila, vir magnæ probitatis & famæ, qui fuit Lector & Inquisitor hæreticæ prauitatis, existens in conuentu Neapolitano, vidit in visione imaginaria prædictum

**Doctorem in scholis legentem Neapoli coram multitudine copiosa scholarium, & S. Paulum eius scholas intrantem cum societate Sanctorum. [num. 32.] Cui cum Lector de cathedra descendens vellet occurrere, Apostolo ei innuente quod legeret, & quod prosequeretur quam cœperat lectionem, Doctor rogauit Apostolum, vt ei diceret, [visus S. Paulus eum ad cælum educere.] si habuisset verum de suis Epistolis intellectum. Qui respondit: Bene, sicut in hac vita homo viuens in corpore potest scire: sed volo, vt mecum venias, & ducam te ad locum, vbi clariorem habebis de omnibus intellectum; & videbatur ipsum per cappam accipere, & ducere extra scholas. Ad cuius Doctoris exitum prædictus Frater cœpit fortiter clamare: Succurrite, quia Fr. Thomas nobis tollitur. Ad cuius clamorem Fratres excitati, interrogauerunt, quid clamans in visione vidisset: qui narrauit per ordinem visionem. Qui horam notantes [compererunt] quod tunc concessum fuit Doctori ex hac vita transire qua visus fuerat S. Apostolus ipsum ad gloriam inuitare. Felix Doctoris anima, cui cælestes ciues obuiant, vt ad cælestia regna perducant: & quem habere meruit dum viueret instructorem scientiæ, dum ex hac vita transiret, habuit ad cælestem gloriam conductorem.**

**[62] Cum autem prædictus Doctor cum tot signis & testimonijs sanctitatis obiisset, Dominus Ioannes de Ferentino, [Lumen restituitur amissum:] Supprior dicti monasterij, patiens in oculis ita grauiter, vt vix videre posset, duci se fecit ad corpus dicti Sancti. Ad cuius pedes cum reuerentia & deuotione prostratus, applicari se fecit funeri, & ponens faciem suam super faciem eius orauit Deum, vt ipsius dicti Doctoris meritis, cui se orando deuouerat, fieret sibi restitutio luminis, quo carebat. Qui statim perfecte illuminatus, clamauit: Benedictus Deus, quia meritis huius Sancti mihi visus perfectissime est restitutus. Et bene congruit, vt petenti visum Sancti meritis**

**Deus lumen concederet, cui Deus statim, cum transijt, lumen concessit gloriæ, vt ipsum in æternitate videret.**

**[63] Abbas autem & monachi, tot visis sanctitatis indicijs & tot signis, dolentes de tam subita & dolorosa tanti Ecclesiæ luminaris eclipsi, & gaudentes quod apud Deum talem meruerunt habere Patronum, [multis accurrentibus] solennes circa Sancti corpus exequias celebrarunt. Cuius funeri & exequijs interfuerunt plures Fratres sui Ordinis, qui de diuersis conuentibus ad ipsum visitandum venerant. Interfuit etiam Reuerendus Pater Dominus Franciscus, Episcopus Terracinensis Ordinis Fratrum Minorum, cum pluribus de suo Ordine, & multi de Campania nobiles: quorum quam plures traxerat carnalis affectio, cum plures habuisset prædictus Doctor in Campania consanguinitate coniunctos, multosque provocauerat fama scientiæ, signa miraculorum, & exempla sanctitatis & vitæ. Cum his omnibus cum prædicti Sancti funus ad ecclesiam cum cantu & reuerentia portaretur; [etiam nepti eius,] Domina Francisca neptis eius, quæ non audebat monasterium ingredi, petiuit ab Abbate ex gratia, vt prædicti Doctoris faceret ad ostium monasterij funus afferri. Quo viso, ipsa cum alijs duabus supra tanti viri funus fecere lugubre ex more lamentum, [ac mulo subito mortuo,] sicut exprimere poterat consanguinitatis affectio, & doloris de suo obitu magnitudo. Quarum cum clamore gemitus cum longius personaret, mulus, cui prædictus insederat, de stabulo se, fracto fune, [sepelitur.] dissoluit, & nullo ducente appropinquans ad feretrum, mortuus sine omni alia infirmitate defecit: vt etiam in animalibus Deus ostenderet, quod magnum lumen Ecclesiæ defecisset. Post hæc delatum est corpus eius ad ecclesiam, in qua fuerat venerabiliter tumulatum, & gleba terræ cæleste sidus absconditum; donec eius sanctitas adhuc miraculis manifeste claresceret, quæ Deus mirabiliter demonstraret.**

[64] Post deuotum sepulturæ Officium dolore lugubri & deuotione solenni persolutum, Fr. Raynaldus de Piperno, qui totius vitæ eius meruit esse testis & socius & cui doloris excessum beatus obitus temperabat; testimonium vitæ eius, [Raynaldus de Piperno socius,] quod cederet audientibus in exemplum & transiret ad doloris remedium, vni monacho subinferens, consensit vt seruiret obedienter rationi pro sui commendatione Magistri & debito soluendo discipulis dicti Doctoris, qui vitæ expectabant audire meritum, cuius tam evidens videbant sanctitatis indicium. Surgens itaque in medium prædicauit & dixit: Ego istius Doctoris totius vitæ exterioris & conscientiæ testis sum, & frequenter audiui meritum eius tam evidens: & nunc generalem eius Confessionem audiui, quem ita semper purum reperi, sicut puerum quinque annorum: quia numquam carnis suæ sensit contagium, nec habuit in aliqua praua voluptate consensum. Post quod requisito loco silentij lacrymarum conscio & doloris amico, [testatur eius innocentiam,] prorupit in gemitum videns se cum humano genere tanti præsentia luminaris orbatum. Nec mirum: Quis enim potuisset in tanti Doctoris obitu tam iuste cadentis, cordis temperare dolorem, continere lacrymas, silere querelas, in quo scientiæ lumen obnubuit, flos innocentiae cecidit, doctrinæ siluit organum, & disparuit sanctitatis exemplum: & fontem illum mirandæ dulcedinis mors illi grata & nobis amara siccauit, vt non posset ad plenum conturbati discipuli animum transitus ad gloriam lætificare Magistri. Cui non solum seruiuit, vt Magistro discipulus, vt Patri filius, sed vt Sancto deuotus: circa quem oportebat semper assumere nutricis officium, propter abstractionem quasi continuam, & frequentem ad cælestia mentis raptum, vt sic abstractum ab exterioribus præuenire etiam oporteret de necessarijs corporis alimentis, & præparare ante ipsum quod sumeret, ne in his, quæ nocerent, error contingeret, si abstractus continue in sumendis erraret. Quamuis etiam dulcis ille

**Doctor memor talis discipuli, in vltimis constitutus, ipsum voluit consolari. Qui cum Magistro reuelaret vnam caussam tristitiæ; quia sperabat ipsum in Lugdunensi Consilio, quo tendebat, assumi ad magnam aliquam dignitatem, quæ ad honorem cederet Ordinis, & proprij generis gloriam temporalem; sanctus Doctor, qui semper solo diuinæ Sapientiæ amore contentus, mundo altior erat, [& humilitatem:] & omni temporali dignitate sublimior, dixit ei: Noli Fili, de hac caussa turbari, quia hoc a Deo inter alia mea desideria petij, & Deo gratias referens impetraui, vt me indignum in hoc gradu humilitatis de hac vita susciperet, a quo nullius auctoritatis dignitas me mutaret. Et quamuis potuissem amplius proficere in scientia, & prodesse alijs in doctrina ex reuelatione mihi facta, nunc placuit superioris scientiæ reuelare secretum, vnde mihi indigno plus quam alijs Doctoribus contulit, qui diutius in hac vita manserunt, vt citius alijs præsentī mortali vitæ cederem, & in æternam consolatus intrarem. Vnde consolare, Fili, quia ego in omnibus sum consolatus.**

**[65] Post obitum dicti Doctoris die tertia Frater Raymundus Maturus nostri Ordinis, natiuitate Pisanus, vir admodum laboriosus, & humilis totus, qui a tempore Frederici Imperatoris vsque ad hæc tempora feliciter perseueravit, [alteri visus in somno celebrare, & concionari, & indicare scientiam in cælo concessam:] qui dicto Doctori fuerat plurimum familiaris in conuentu Anagnino, huiuscemodi vidit diuinitus visionem. Cum enim diutius de sero fuisset lacrymatus præ dolore obitus tanti Doctoris, cogitans quod cum eo tanta scientia fuisset amissa; dormiens post gemitum, videbatur ei quod Fr. Thomas exiret de sacristia indutus Sacerdotalibus vestibus, & quod procedens ad altare cum ministris paratus Missam celebraturus accederet, ipso Fr. Raymundo in choro faciente more solito cantus. In qua cum Doctor præcederet, post Euangelium vertens se ad**

populum solenniter prædicauit. Qua prædicatione & Missa finita, redeunte eo ad sacristiam, cum chorus totus post Officium Fratrum coram eo deuotius inclinaret, & dictus Fr. Raymundus in eum curiose intenderet, perpendit dictum Doctorem dextrum oculum multo maiorem habere sinistro, & incomparabiliter clariorem mirandique splendoris: de qua differentia cum plurimum miraretur; dictus Doctor dixit ei: De hoc, Fili, miraris, quod tantam differentiam in me oculi dextri a sinistro perpendis: tanta est differentia scientiæ, quam nunc habeo in patria ab ea quam habui dum essem in via. Congrua visio, quæ dolenti satisfaceret, qui Doctoris scientiam deplorabat amissam, & eiusdem notitiam ostenderet ampliata.

[66] Obijt autem prædictus Doctor anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, [mortuus anno 1274 ætatis 49 completo.] prædicti Domini Papæ Gregorij X anno quarto, Indictione secunda, septimo die Martij, hora matutinali. Congruum enim fuit diuinæ providentiæ, vt illius mensis tempore Deus suo Doctori ad æternam vitam assignaret introitum, quo ab æterno præuiderat producere vniuersum; vt Deo prædictus Doctor in suis assimilaretur operibus, vt quasi completo sexto die scribendi opere, septimus dies sibi succederet pro quiete; & quadragesimum nonum annum suæ vitæ perficiens, e quinquagesimo inchoaret æternæ gloriæ iubilæum: & hora matutinali diluculum ænigmaticæ visionis finem acciperet, & plenæ lucis Sanctus diem gloriæ inchoaret.

## CAPVT XI.

### Variae corporis incorrupti, ac manus Translationes.

[67] Post hæc autem cogitans prædictus Abbas, quod notus erat locus, in quo corpus dicti Doctoris erat humatum, [Corpus translatum ad sacellum S. Stephani,] & quod posset eis auferri, procurantibus sui Ordinis

**Fratribus, per mandatum Summi Pontificis; quia erat loco depositi corpus eius dicto monasterio commendatum; occulte ipsum de ecclesia transferri fecit ad cappellam S. Stephani iuxta claustrum. De quo cum prædictus Doctor in somnis apparens præfato Abbati, ipsum grauius arguisset, quia erat suo corpori in debita reuerentia derogatum, & quod Fratres sui Ordinis essent decepti, qui locum, in quo ei reuerentiam redderent, [eo apparente & iubente referendum,] in veritate nescirent; comminatus est ei, nisi corpus suum ad priorem locum cito reduceret, in quo nullus, qui visitaturus eius sepulcrum veniret, erraret. Cogitans & timens diuinæ ultionis iudicium, si præteriret quod audiverat in visione mandatum; & volens nihilominus claustrales monachos hoc latere, acceptis prædictæ capellæ clauibus a Domino Blasio, & assumptis duobus monachis extraneis & aliquibus oblatis, accessit ad capellam, in qua corpus dicti Doctoris erat humatum, & patefacto ferreis instrumentis sepulcro, post longum tempus a die suæ exhumationis, quo fuerat de ecclesiæ sepultura translatum, [suauem odorem exhalat:] tantus odor de sepultura subito exhalauit, vt non videretur fuisse defuncti humani corporis sepultura, sed multorum aromatum apotheca. Qui odor tantus fuit, & sic per totum se diffudit, quod ad ipsum, nullo alio indicante, diuinitus excitati monachi conuenerunt. [integrum reperitur,] Coram quibus amplius manifestato sepulti Doctoris corpore, viderunt corpus eius integrum in membris, & in pannis, cappa & capucio, sui Ordinis habitu, sicut fuerat ante positum in sepulcro, in nullo penitus immutatum; cum tamen dicti Doctoris corpus fuisset grossum, pingue & magnum, & solum suæ sepulturæ humidum & profundum. Videntes autem monachi circa Doctoris corpus tam manifesta, tam grandia, tam multiplicata miracula, corpus Sancti odoriferum, & in substantia & in figura nulla corruptione mutatum, posito in lecto defunctorum Sancti corpore & elevato, vt ad ecclesiam cum solennitate deferrent, [refertur solenni cantu,] non ordinato prius,**

quod cantare deberent, Cantor alta voce incepit: Iste Sanctus digne in memoriam vertitur hominum, qui ad gaudium transijt Angelorum. Quod cum Cantibus & reuerentia sic delatum, [& Missa de Confessore facta:] iuxta altare maius in tribunali ecclesiæ, fecit ipsum Abbas in quadam tumba marmorea collocari, & conuentus cantauit Missam, de vno Confessore, tantis visis apertis miraculis, vt non posset de eius gloria dubitari. Cantor cum non præcogitasset quem Introitum deberet incipere, subito cantare cœpit: Os iusti meditabitur sapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Contigit autem cum monachi ad refectionem iuissent, inter custodes alios sacri corporis quemdam Magistrum Iacobum Initorem, pro sepulcri paratura ad custodiam cum alijs remanere: [terra corporis attactu sit odorifera,] qui aperiens tabulam, qua capsula sacri corporis tegebatur, terram, quæ circa pectus ceciderat, reollectam eduxit: quæ tam magnum odorem reddidit, quod se per totum chorum cum flagrantia miranda diffudit, ita vt omnes qui aderant, mirarentur, obstupentes, quod odorem non solum Sancti corpus redderet, sed etiam omnia, quæ sancto corpori adhæsissent. Vnde quidam nobilis, qui pro habendis de dicti Doctoris sancti corporis reliquijs venerat, de illa terra partem aliquam secum detulit, & pro suo sanctuario conseruauit. Conueniens namque fuit, [pro reliquijs adseruatur.] vt dicti Doctoris corpus exanime magnis signis miraculorum claresceret, quod animatum tot Dei obsequijs deservisset, & non nisi odorem diuina virtute redderet, quod tot virtutum actibus organice paruisset.

[68] Nec vacat admirando diuini consilij occulto mysterio, quod in prædicto monasterio Fossæ-nouæ alterius Ordinis & magnæ religionis, [Testimonium conferentibus monachis Fossæ-nouæ,] mors tam fructuosi itineris in obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vitam sancti Doctoris extingueret, vbi tot Sanctorum religiosorum fide dignum testimonium, visis miraculis defuncti sancti

corporis, memoriam suscitaret, & ipsi compellerentur, signis miraculorum clamantibus, eius sanctitatis testes existere, qui nitebantur, ne videretur quod claresceret miraculis, occultare. Qui verisimiliter dubitabant, quod Fratres sui Ordinis ad habendum corpus eius maiorem conatum ostenderent, si de miraculis eius ab eis veritatis testimonium haberent. Quis enim de odore sacri corporis Fratribus sui Ordinis credidisset, pluries eius sepultura fragrante, quod non fuisset humana sagacitate suppositus, qui sentiebatur tam mirabili suavitate diffusus, nisi inter manus tot testium fuisset alijs manifestus: vt etiam iter, quod eius morte præciditur, & finis, quo eius vita finitur, manifeste ostenderent, quanta obedientia Romanæ Ecclesiæ viuens seruiuerat, & adhuc moriens seruiebat.

[69] Placuit autem Deo & Sancto hoc iterare miraculum de integritate sancti corporis & odore. [ab obitu anno 14 corpus incorruptum:] Nam quarto decimo anno obitus eius Petrus de Monte-S. Ioannis, qui dicti monasterij Abbas erat, rogatus fuit a Domina Theodora sorore dicti Doctoris, vt daret sibi pro reliquijs manum dexteram Fratris sui. Volens autem Abbas satisfacere votis eius, dare ipsam annuens & permittens, accessit ad dicti Sancti sepulcrum: & ferreis instrumentis vix eleuato lapide sepulturæ, & patefacto sacri corporis pretioso thesauro, sicut prius, magnus itidem odor exiuit. Ad quem, sicut antea, omnes monachi conuenerunt, & inuenerunt corpus eius integrum in membris & pannis sui habitus, sicut prius, excepta summitate nasi, quæ modicum erat ex diuturnitate corrosa. Cuius sacri corporis dexteram, quam credebat vt putridam euellere, [manus data sorori,] compulsus est detruncare. Quam manum licet præ stupore miraculi prouidus, præsumptuosus tamen ex deuotione concepta, accepit, & cum reuerentia detulit ad prædictam Dominam, quæ cum desiderio expectabat. Quam receptam deuote cum lacrymis fecit ipsam

diligentius conservari cum alijs reliquijs, quas habebat: quæ vsque hodie, sicut accepta fuit integra, sic apparet adhuc sine aliqua sui mutatione seruata, quæ apud conuentum Salernitanum sui Ordinis, in quo est repositum corpus prædictæ sororis suæ cum veneratione tenetur. O admirandum diuinæ virtutis prodigium, & stupendum præ raritate miraculum, vt terra terrenum corpus non audeat corrumpere commendatum, quod acceperat sine corruptione depositum! O manifestum prædicti Doctoris sanctitatis indicium, vt corpori suo, cui viuenti meruerat in oratione leuari in aëra, mortuo impetraret, ne redigeretur in puluerem: vt videretur differri in eo diuina de humani corporis resolutione sententia; donec pateret hoc duplicato miraculo, quantum beatus Doctor alienus penitus esset a culpa, cuius corpus seruatum fuerat absque omni penitus corruptela.

## CAPVT XII.

### Miracula varia facta.

[70] Addidit adhuc Deus prædictum iterare miraculum, ad certius veritatis præcedentium argumentum. Cum enim prædicta manus Doctoris in capella castri S. Severini prædictæ Dominæ cum reuerentia seruaretur, quidam Clericus de Salerno Canonicus, quam plurimum Deo deuotus, Procurator Rectoris dictæ cappellæ tempore certo constitutus, [Manum S. Thomæ abnuens venerari punitur tremore:] venit ex deuotione videre reliquias, quæ ibi cum reuerentia seruabantur. Quibus cum reuerentia veneratis, cum esset ei per Capellanum dextera prædicti Doctoris manus, vt veneraret, similiter præsentata; & ille subridens, venerare & respicere contempsisset, subito magnus tremor ipsum arripuit. Qui aduertens, quod pro contemptu, quo Sancti manum adorare contempserat, subito corporis immutatione tremebat, pœnitens procidit ad vestigia Sacerdotis, & petiuit humiliter de verbis contemptis, quæ contra Sanctum dixerat, contritus

absolui. A quo cum absolutus esset, & recepta pœnitentia salutari, adhuc tremoris pœna duraret, [pœnitens eam veneratus, liberatur:] rogauit vt sibi dictam manum Sancti ostenderet, vt debitam reuerentiam Sancto pœnitens redderet, quam despiciens denegasset. Quam cum genuflexus & perfusus lacrymis adorasset, petiuit a Deo dicti Sancti meritis absolui a lapsu criminis, & liberari ab inflictâ sibi pœna tremoris: & accedens propinquius cum reuerentia, adhuc de maiori Dei & Sancti pietate confisus, osculatus est eam, de qua tantum odorem sensit, quod similem se non recoluit percepisse: & statim tremor cessauit ab eius corpore, & facta est in eo diuinitus mirabilis mutatio in melius deuotionis in mente. [ex attactu seruans diu suauem odorem:] Ex cuius tactu osculi sacræ manus odor, quem senserat, ei & caputio, quod tenens in collo bursam tetigerat, in qua sacra manus erat recondita, sic adhæsit: quod ex caputio, cum ipsum acciperet, prædicti miraculi ex odore fiebat sibi frequens memoria, & ab obuiantibus sibi frequens interrogatio: quid odoriferum ferret, quod olfactum obuiantium immutaret: & ita, quod frequenter in die oportebat eum recitare suæ liberationis & odoris miraculum, vt ad dicti Sancti gloriam faceret de culpa sui contemptus emendam. Contigit autem prædictum miraculum anno ab obitu dicti Doctoris quadragesimo secundo, vt ex diuturnitate temporis, quo dicta manus in sua integritate remanserat, & adhuc mirabiliter perseuerat, diuina virtus in ipsa appareat, [liberatur in tentationibus.] quæ etiam cum odore perdurat. Sensit autem prædictus Clericus cum prædicto odore in omni periculo tentationis auxilium, & quoties sensisset se ab aduersario impugnari, etiamsi iam deliberasset in animo consentire, inuocato Dei auxilio, merito dicti Sancti continuo se percepit ab omni periculo liberum & Deo propitiante securum.

[71] Et quia tanti Doctoris manus, per quam Deus tot veritates digesserat, seruanda non erat, [Manus

Salernum delata,] nisi in aliquo loco sui Ordinis, vbi docuerat anima illuminata Doctoris; propter hoc cum prædictum miraculum fuisset Domino Thomasio de S. Seuerino Comiti Marsiti pluries enarratum, laudans Deum de miraculo, & cogitans quod a Fratibus sui Ordinis reuerentius seruaretur prædicta manus dicti Doctoris, ipsam Priori & Conuentui Salernitano concessit, cum reuerentia conseruandam. [subinde efflat suauem odorem:] Ad quam venerandam deuotione debita, cum quidam Frater plurimum deuotus accessisset, sperans, quem audiuerat ab alijs, sentire suauitatis odorem; verum cum non sensisset, vt pie sperauerat, ad ipsam reuerentius adorandam cum maiore deuotione se præparans, sensit odorem mirabilem, cui similem non recolit se sensisse. Quod miraculum suo Priori retulit, & postmodum ad Dei & Sancti gloriam pluribus enarravit. Qui odor quia non sentitur ab omnibus, qui ipsam manum Doctoris adorant, nec quotiens adoratur; omni caret suspicione, quod non sit ille odor humano ingenio procuratus, qui apparet aliquando diuina virtute concessus: qui omni humana fraude purgatur, dum nullius rei naturalis odor illi similis inuenitur. Est autem manus illa Doctoris integraliter, excepto pollice, qui fuit ex alicuius deuotione subtractus, extensa, desiccata, & a suo colore pristino non mutata: vt ex hoc ostendatur omnibus non esse sine miraculo conseruata. [est excepto pollice integra.] Prædictum miraculum de odore non solum ad eius manum diuinitus est ostensum, sed qui ad adorandum alias dicti Sancti [manum] accesserunt, referunt quod etiam alia sanitatis beneficia receperunt. Et bene Diuinæ congruit Prouidentia, vt dicti Doctoris manus diuinitus odorem digna esset effundere, quæ ad odorem diuinæ notitiæ multa fidelibus meruit exarare: quæ illum librum in spiritu digito intellectus aperuit, quem de dextera sedentis in throno, vt alios edoceret, accepit: quæ in sua adhuc integritate remansit, quam non

sine miraculo ex antiquitate temporis aëris qualitas non corrumpit.

[72] Processu vero temporis ad prædicti Sancti sepulcrum crescente deuotione populi & fama prædicti miraculi de odore, & de integritate sancti eius corporis pluries replicati, deuota consuetudo inoleuit communiter, quod homines in suis operibus occupati in agris, in quacumque infirmitate subito grauarentur, [Sanantur podagricus,] ad dicti Sancti sepulcrum solent recurrere, & ibi Sancti meritis gratiam inuenire. Inter quos quidam medicus, nomine Raynaldus, habitator S. Laurentij castri prope monasterium Fossæ-nouæ, cum decem annis passus fuisset podagram, tam grauiter quod sine adminiculo non posset incedere, portatus ad dicti Sancti sepulcrum, coram toto conuentu cum orasset Deum, & promisisset suam vitam infra annum in melius emendare, si sanitatem dicti Sancti meritis obtineret, subito coram omnibus de conuentu surrexit, perfecte curatus, & gratias agens Deo & laudes dicto Sancto referens, cucurrit ad suum equum velociter, & leuiter ipsum ascendens, dixit: Decem anni sunt, quod non potui istum equum ascendere, & nunc ascendo, & sanus redeo meritis S. Thomæ, de quo mirati & stupefacti, pulsatis campanis Te Deum laudamus solenniter cantauerunt.

[73] Petrus Francisci de Piperno, Oblatus dicti monasterij, dum esset in lecto suo, [a dæmone obsessus,] apparuit ei malignus spiritus in forma simiæ illudens ei: qui sic fecit ipsum immobilem, vt se munire Crucis signaculo non valeret, nec haberet motum membrorum corporis naturalem. Qui cum obsessus a dæmone ab omnibus putaretur, duo monachi & quidam Oblatus monachus ipsum ad sepulcrum dicti Sancti cum deuotione portarunt: vbi cum genuflexione cum deuote Deum Sancti meritis implorassent, subito obsessus a dæmone, fuit ab omni infirmitate restitutus pristinae valetudini. Qui statim

relinquens seculum, factus est Conuersus dicti monasterij, vita & conuersione deuotus.

[74] Dominus Matthæus Angeli de Piperno patiens arteticam in brachio dextro, [vexati artritide] cum nihil cum ipso brachio posset facere, concepta deuotione ad prædictum Sanctum accessit cum reuerentia ad sepulcrum eius, cum plena fide. Super quod cum orans Deum, Sancti meritis gratiam implorasset, posito super sepulcrum infirmo brachio, subito fuit sanitati pristinæ restitutus.

[75] Thomasius Paganus de Piperno, cum multis septimanis febrem passus fuisset, audiens a peregrinis, qui per dictum monasterium transitum fecerant, [febri] quod multa miracula fierent ad sepulcrum dicti S. Thomæ, cum actualiter pateretur, vouens sepulcrum eius visitare, & vnam Missam ad eius laudem ibidem facere celebrari; immediate ab omni infirmitate curatus est: & accedens cum reuerentia, votum, quod promiserat, cum gratiarum actione compleuit.

[76] Domnus Raynerus de Babuco monachus dicti monasterij, cum tredecim diebus passus fuisset febrem, qua plurimum grauabatur; [item febri,] concepta deuotione, accessit ad sepulcrum prædicti S. Thomæ, pedibus & manibus gradiendo: vbi cum orando petiuisset a Deo, eius meritis liberari; continuo surrexit ab omni infirmitate curatus, reddens Deo gratias, & laudans merita dicti Sancti.

[77] Quidam iuuenis de Piperno Thomasius cum esset lepra infectus, nondum a societate hominum separatus, [lepra,] cum deuotione ad sepulcrum S. Thomæ, confisus de meritis eius, accessit: iuxta quod cum pia dissimulatione monachi prædictum iuuenem portari permetterent, de nocte ei dormienti S. Thomas apparuit, &

**dixit ei: Quid petis a me? qui cum respondisset: Peto a Deo tuis meritis liberari, Sanctus ei respondit: Surge & esto sanus. Qui cum gaudio euigilans, perfecte se inuenit ab omni infirmitate curatum, & reddidit Deo gratias, merita dicti Sancti cum omni deuotione collaudans.**

**[78] Frater Bartholomeus de Ferentino Conuersus dicti monasterij, cum esset apothematicus, & a medicis desperatus, [apothemate,] quod nullo posset remedio medicinæ sanari; inductus ab Abbate suo, quod ad S. Thomam prædictum deuotionem conciperet & se Deo ac eius meritis commendaret, statim emisso voto, apothema euomuit, & fuit ab omni totaliter, qua ferebatur, infirmitate curatus. Qui super hoc addidit, quod quoties in aëre aliqua grauis tempestas accideret, quam monachi ex pusillanimitate timerent, nomine inuocato diuino, per merita dicti Sancti, facta processione ad eius sepulcrum, tempestas immediate cessabat.**

**[79] Quidam pauper temporali substantia, diues tamen deuotionis gratia, habens a sua natiuitate tibias & crura debilia, [debilitate crurum & tibiærum.] ita quod ambulare non poterat, sed post se quasi quædam frusta carniū ipsa trahebat: audiens ad sepulcrum dicti Sancti a Deo eius meritis multa fieri miracula, concepta deuotione ad sepulcrum dicti Sancti se portari fecit: vbi diu orans cum lacrymis a Deo beneficium, meritis eius subito consolidatis tibijs & cruribus surrexit, & stetit erectus, & ambulare cœpit sanus; agens Deo gratias, qui Sanctorum meritis sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.**

### **CAPVT XIII.**

**Acta circa Inquisitionem Neapoli instituendam pro Canonizatione S. Thomæ.**

[80] Ad gloriam etiam dicti Sancti scribenda sunt miracula, [Ad procurandam inquisitionem de miraculis,] quæ in prosecutione Canonizationis eius diuinitus contigerunt Fratribus, quibus commissa fuit inquisitio de miraculis a Deo meritis eius factis per Fr. Robertum de S. Valentino, tunc Vicarium, Magistri Ordinis & Diffinitores Capituli prouincialis in conuentu Galecanæ, vt inuenta miracula scribi facerent, & ipsam sanctissimo Patri Domino Ioanni Papæ XXII sine aliqua hæsitatione proponerent, qui infra scriptum miraculum eis factum dicti Sancti meritis retulerunt. Cum dicti Fratres in quadam galea Prouincialium plurimis onerata, [nauigantes Neapoli in Gallias,] de Neapoli versus Romanam curiam nauigarent, duobus erectis velis & plenis vento prospero, sed nimis vehementi, ita vt in mari magnam nauigantibus excitaret tempestatem, nautæ plurimum timere cœperunt, eo quod galea videbatur tempestatibus periculosius agitari, cum præter hoc esset nox, & pluuiæ vexarentur. Quibus nauigantibus cum ad montem a Argentarium ventus galeam impelleret, & marinarij diuertere non valerent; cœperunt singuli de galea vestes suas deponere, vt natationis remedio non perirent: cœpitque vnus ad dictos Fratres, qui tempestatibus timore in sentina latebant, magnis clamare vocibus: [tempestate & periculo mortis eximuntur:] Orate Fratres Sanctos vestros, quia galea in proximo frangenda vadit ad montem. Qui cum mutuo ad Confessionem se pararent, & ad transitum, quem in proximo credebant omni humano auxilio sublato, futurum; cœperunt fletibus magnis & vocibus Reginam Virginum, maris Stellam, S. Dominicum, S. Petrum Martyrem, vltimo S. Thomam quasi pro immediato auxilio inuocare. Cuius auxilium instantius gemitibus implorantes, quasi Sanctum ex debito pro auxilio in diuino iudicio conuenissent, qui pro suo honore tam fideliter laborarent, rogabant confidentius, vt eius meritis liberarentur miraculo, ne dicti Sancti perirent scripta miracula, quæ portabant. Mirandum prodigium, quasi

dicti Sancti ageretur negotium, si dictis Fratribus & omnibus de galea præberet auxilium; cum galea propinqua esset excidio fractionis, nouus ventus a latere montis fluit, & galeam, quæ impetu ferebatur ad montem, ab exitio percussionis auertit, & libero mari a latere montem respicienti ab omni periculo diuinitus liberata processit. Tunc omnes clamauerunt, Miraculum, laudantes Deum: cui mare & venti obediunt, cum Sancti in periculis pro nauigantibus intercedunt.

[81] Et quia totus processus, qui ad honorem Dei & dicti Sancti subito [institutus] diuino nutu fuerat frequenter resumptus, & manifeste erat diuinitus inspiratus; [Ioannes Papa XXII laudat vitam & doctrinam S. Thomæ,] continuanda est prosecutionis dicti processus historia, vsquequo de inquirendis dicti Sancti miraculis per Sanctissimum Ioannem Summum Pontificem Inquisitionis prosecutio fuit commissa. Coram quo Patre Sanctissimo cum prædicti Fratres exposuissent dictam causam sui aduentus ad Sanctitatis suæ præsentiam, & super hoc litteras Magnorum assignassent, quibus implorabant inquisitionem de inueniendis miraculis factis meritis prædicti Sancti Apostolica auctoritate committi; prædictus Summus Pontifex diuino afflatus spiritu, quo repletur, dixit: Nos credimus, quod Fr. Thomas est gloriosus in cælo: quia vita sua fuit sancta, & doctrina eius non potuit esse sine miraculo. Et subiunxit Fratri, qui proposuerat: Assignamus tibi primum consistorium, in quo coram nobis & nostris Fratribus hæc ipsa proponas. Quam responsionem Summi Patris Cardinales nostri Ordinis audientes, dixerunt esse in tali petitione diuinitus aspiratam, & a Deo fieri processus incepti negotij, qui semper fuit mirabilis in operibus Sancti sui. Cum autem die tertio, Consistorio per eundem Fratrem fuisset prædicta petitio proposita, & de mandato Summi Pontificis prædictus Frater, [& approbantibus Cardinalibus Processum inquisitionis præscribit:] qui

proposuerat, se de Consistorio absentasset; Summus Pontifex illo afflatus Spiritu, quo fuerat in prima responsione repletus, quasi solis radium hinc inde ad Cardinales dirigens suæ benignitatis aspectum, dixit: Fratres, nos reputabimus nobis ad magnam gloriam & nostræ Ecclesiæ, si istum Sanctum possumus catalogo Sanctorum asscribere, dummodo aliqua miracula possint de eo inueniri: quia ipse plus illuminauit Ecclesiam, quam omnes alij Doctores, in cuius libris plus proficit homo vno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitæ suæ. Cui omnibus Cardinalibus tamquam Filijs annuentibus, dicto Fratri Summus Pontifex tres Prælatos ad inquisitionis miraculorum officium nominavit, ad quod amplius deliberato consilio, reuerendis Patribus Archiepiscopo Neapolitano, Episcopo Viterbiensi, & Domino Pandulfo de Sabello suo Notario, Inquisitionem prædictam cum Inquisitionis forma commisit, præmissa prius inquisitione de fama vitæ & miraculorum dicti S. Thomæ. Et completa in curia lecta, & acceptata in consistorio sunt, ne diuturnitate temporis nimis retardaretur Canonizatio desiderata Doctoris, ad quam festinabat Sanctissimi Patris affectio, providens quod per eam commissa sibi promoueretur Ecclesia, eius ædificata meritis, & illuminata doctrinis.

[82] Post reditum Fratrum dictorum de Curia, cum litteris de Inquisitione super præmissa facienda, auctoritate commissa, [colliguntur miracula Fossæ-nouæ facta,] antequam assignarentur in Neapoli prædictis tum Prælati litteræ, quia tertius interesse non potuit, medio tempore, antequam prædictus Dominus Episcopus ad prædictam venisset ciuitatem, in qua erat Inquisitio facienda, vocatis testibus de monasterio Fossæ-nouæ, Abbate & monachis, quorum quidam prædictum Sanctum & eius miracula viderant; quidam vero eius meritis beneficia diuina pietate receperant; superna virtute, dicti Sancti meritis, facta sunt multa miracula propter

deuotionem populi, quæ occasione dictæ inquisitionis ex communi fama in regione personuit; & ex mira Dei prouidentia, quæ mirabiliorem dicti Sancti meritis se ostendit. Quorum miraculorum aliqua non fuerunt apud prædictos Inquisitores inuenta: quia testes Neapolim propter distantiam & impotentiam non potuerunt accedere: & Reuerendus Pater Neapolitanus Episcopus propter senectutem sine vitæ periculo in loco dicti monasterij, in quo & eius circuitu erant testes, non potuit cum dicto Domino eius collega Episcopo convenire. Prædictus Frater ne derogaretur in aliquo diuinæ gloriæ, qui se mirabilem in Sanctis ostendit, & sancti Doctoris famæ, si miracula obliuioni essent tradita, quæ ad notitiam diuinæ gloriæ sunt patrata, infra illud tempus, quo prædictus Dominus Episcopus ad veniendum se parauit, expectans ipsum in dicto monasterio per menses quatuor, omnia mirabilia, quæ inuenire potuit, relegit: quorum aliqua infra illud tempus eo præsentem sunt facta, & quædam alia de propinquo collecta, quæ inferius sunt notata. Per quorum multiplicationem visus est prædictus Sanctus infrascriptorum signorum multiplicationi intendere, sicut in subscripta visione visus est demonstrare.

[83] Dominus Bartholomæus de Sulmona monachus prædicti monasterij Fossæ-nouæ, vir magnæ religionis, [ipso Sancto, vt cuidam reuelauit præsentem.] deuotionis & famæ ex testimonio sui Abbatis, vidit illis diebus, quibus prædicta omnia agebantur, vt in visione nocturna, Fratrem Thomam de Aquino, multis associatum Fratribus sui Ordinis, intrare chorum sui Ordinis & dicti monasterij. De cuius admiratus aduentu, quæsiuit de caussa sui noui accessus ad monasterium. Qui dixit: Audiui quod Summus Pontifex facit inquiri de factis meis, & ego ad hoc veni. Respondit prædictus monachus: Est verum quod debes canonizari: tamen Fr. Petrus de Morrone non fuit canonizatus, nisi postquam fuit mortuus, & tu es adhuc

**viuus. Respondit S. Thomas: Fili, nullus canonizatur, nisi sit viuus, & Fr. Petrus de Morrone est viuus, & ideo est canonizatus: & inclinans se cœpit ostendere modum orandi dicti Sancti, recte faciens profundas inclinationes, sicut ille in cella sua faciebat, & addidit: Frater Petrus fuit canonizatus Sanctus, quia plurimum fuit in oratione deuotus. Deinde autem cantabitis istud Inuitatorium, quod ei in somnis seriose dicebat. Qui euigilans & admirans, non fuit de Inuitatorio recordatus, & videbatur, quod dictus Fr. Thomas induebat se ad Missam. In qua dum procederet, excitatus est, gaudens, quod Deus dignatus fuerat suo Sancto mira reuelare præterita, quæ præ diuturnitate videbantur oblita.**

### **Annotata**

**End Noted S. Petrus de Morone, seu Cælestinus Papa V, fuerat tum recenter a Clemente Vanno 1313 Sanctis adscriptus, colitur 19 Maij.**

### **CAPVT XIV.**

#### **Miracula facta Fossæ-nouæ & Piperni.**

**[84] Dominus Ioannes de Adelasia, monachus prædicti monasterij de Piperno, cum iaceret in dormitorio, [Curatur apostema,] subito de nocte superuenerunt ei tam intensi dolores, vt videretur deficere. Ad quem cum monachi conuenissent, portauerunt ipsum ad infirmarium, vbi aptius remedia poterant adhiberi. Cui cum nullum adhibita medicamina afferrent remedium, persuaserunt, vt deuotione concepta S. Thomæ prædicto totis affectibus se voueret. Quod cum fecisset, & cum ipso alij, Sancti auxilium implorarent, subito apostema de eius exiuit corpore, nulla dimissa in eo penitus læsione, egitque Deo deuotus gratias, qui eum liberauerat meritis dicti Sancti.**

[85] Dominus Ioannes de Sclavis, monachus dicti monasterij, cum apostema grauissimum pateretur & febrem, [aliud apostemæ cum febre:] ita quod medicus non speraret de sua infirmitate salutem; vouens se S. Thomæ & Deo, se eius meritis recommendans, fuit statim ab vtraque infirmitate curatus.

[86] Dominus Iacobus de Pastina, prædicti monasterij monachus cum de mandato Abbatis sui mitteretur ad Curiam, [febris,] subito cum superuenisset ei febris grauissima, & hoc Abbati suo reuelaret, concepta deuotione se dicto Doctori deuovit. Ad cuius sepulcrum Sancti cum deuotus oraret, fuit immediate ab infirmitate curatus.

[87] Dominus Iacobus de Feresalon, dictus Rubeus, dicti monasterij, cum febrem acutissimam pateretur, [iterum febris:] decumbens in lecto se dicto Doctori vouens, fuit continuo liberatus.

[88] Dominus Iacobus de Piperno dicti monasterij Cellarius, [sedata tempestas.] cum veniret ad monasterium S. Mariæ de Cannis monialium de Sompino, ad Officium funeris cuiusdam sanctimonialis, & in via grandinum, tonitruorumque pateretur grauissimam tempestatem, ita quod de salute timeret, quia grandines eum propter grossitudinem lædebant excussione, inuocato Dei auxilio meritis S. Thomæ, immediate omnis tempestas cessauit.

[89] Fr. Emanuel de Piperno, Conuersus dicti monasterij, cum quatuordecim mensibus passus fuisset in brachio dextro dolorem acutissimum, [sublatus dolor brachij,] ita quod non posset ipsum capiti applicare, concepta deuotione ad prædictum Sanctum, & facto voto, quod quolibet anno, dum viueret, ieiunaret eius vigiliam; dum orasset ad eius sepulcrum, & recubisset super illud

aliquantulum super infirmum brachium, post modicam horam surrexit perfecte curatus.

[90] Fr. Leonardus de Piperno, Conuersus dicti monasterij nouitius, & faber, cum miracula S. Thomæ prædicti non crederet, [item alterius ob incredulitatem puniti:] sed plurimum dubitaret, quia ipse nullum adhuc viderat apertum miraculum; procumbens in lecto suo more solito coopertus, de mane surrexit, & brachium suum dextrum paralyticum inuenit: de quo cum nihil operari posset, nec festucam de terra accipere, credens hoc sibi accidisse ex frigore, vadens ad fornacem cœpit iuxta ignem fricare brachium, in quo dolore nimio grauabatur: qui cum nullum mitigationis sensisset effectum, memor suæ infidelitatis excessus, quem contra prædictum Sanctum commiserat, venit ad eius sepulcrum, & ibi aliquantulum orans, posito infirmo brachio super illud, sensit dolorem aliquantulum mitigari, & surgens credidit se totaliter liberatum. Sed cum accepisset martellum, tentans si posset aliquid operari, nec valeret, cogitans quod nondum erat ex tota infidelitate correptus, accessit iterum ad dicti Sancti sepulcrum, & ibi suam infidelitatem confitens, cum ex tota cordis deuotione petuisset a Deo beneficium sanitatis, meritis dicti Sancti, ne inutilis esset in monasterio, promittens numquam de Sancti miraculis dubitare, sensit se continuo perfecte curatum; vtens curato brachio, sicut ante ad opera, agens Deo gratias, qui meritis dicti Sancti animum eius ab infidelitatis absoluit scelere, & suum brachium a dolore.

[91] Petrus Carellus, Oblatus dicti monasterij, habens quamdam filiam, [sanati ab infirmitate puella] graui infirmitate in toto corpore motiua virtute priuatam, quæ quotidie doloribus torquebatur, concepta deuotione ad prædictum S. Thomam, rogabat vt vel ipsam de hac vita tolleret, aut dolore sanaret: super qua petitione cum voto deuotionis fuit statim ab omni infirmitate curata.

[92] Iacobus Gulgunaris de Piperno dixit, se interfuisse, quando Ioannes, dictus Eremita, habens talem infirmitatem, [& eremita,] quod dormire non poterat, genuflexus in chorum super genu aggrediens, accessitusque ad sepulcrum dicti Sancti, & ibidem devote orans Deum, quod sibi concederet dicti Sancti meritis sanitatem; immediate liberatus est, agens Deo gratias, quia cito fuerat prædicti Sancti meritis sanitatis beneficium assecutus.

[93] Nicolaus de Maximo de Piperno, vulneratus ab inimicis graviter, & in brachio dextro cum totali fractione ipsius, [passus fracturam brachij,] cum de vulnere fuisset sanitatem medicinæ remedio assecutus, de fractura mansit brachium omnino immobile, sine spe quod aliquo posset curari remedio medicinæ. De quo cum graviter torqueretur, audito quod ad sepulcrum dicti Sancti frequentia fiebant miracula, dixit ei vxor sua: Concipias ad istum Sanctum devotionem talem, de quo tot narrantur miracula; & spero quod statim assequeris eius meritis sanitatem. Qui cum devotione concepta promississet suis parcere inimicis, & eis in crastino pacis osculo reconciliari, & brachium cereum ad dicti Sancti deferre sepulcrum, cum de sero hoc dixisset, dormiens surrexit diluculo perfecte curatus, agens Deo gratias, & soluens brachium cereum, & perficiens, quem promiserat pacis de conciliatione tractatum.

[94] Iacobus filius Petri de Tibaldo de Piperno dixit, quod cum passus fuisset febrem quartanam per menses quatuor cum gravi dolore brachij dextri, in quo actualiter patiebatur dolorem & febrem, [vexati febre quartana,] concepta devotione ad dictum Sanctum, & vouens, si a Deo eius meritis curaretur, discalceatis pedibus eius visitare sepulcrum, & ad eius laudem vnam Missam facere celebrari in dicto monasterio, continuo dimissus a febre fuit, & a dolore brachij perfecte curatus, agens Deo

gratias, & dicto Sancto, quæ vouerat cum deuotione persoluens.

[95] Marcus Brachialis de Piperno, cum pateretur tussim vehementem, [tussi & vomitu sanguinis,] & eius vehementia sanguinem frequenter euomeret, nec posset remedio cuiuscumque medicinæ curari; accessit cum deuotione ad dicti Sancti sepulcrum: vbi cum deuote oraret Deum, & peteret dicti Sancti meritis liberari, confestim fuit perfecte a dicta infirmitate curatus.

[96] [struma gutturis,] Nicolaus de Monte-S. Ioannis, habitator Piperni, cum haberet filiam gutturnosam, & ipsam propter strumam gutturis maritare non posset, duxit eam ad monasterium Fossæ-nouæ prædictum. Quod cum filiæ ingredi non liceret, petiuit a Sacrista monasterij, vt ad filiam suam dicti Sancti reliquiæ portarentur: quas delatas cum reuerentia & deuotione concepta, ipsas gutturi filiæ rogauit apponi. Quibus apposis post modicam horam cum rediret ad propria, in via globum quemdam carnositatis euomuit, & gutturis tumor immediate cessauit.

[97] Prædictus Nicolaus cum tantam virtutem vidisset fieri in sua filia meritis dicti Sancti, [dolore lateris,] patiens in latere dextro dolorem, ita quod non poterat se inclinare; concepta deuotione ex præcedenti miraculo ad dicti Sancti venit sepulcrum, & super ipsum, pia deuotione & præsumptione & deuota fiducia, a parte dolentis lateris se extendit, petens sibi, sicut & filiæ a Deo dicti Sancti meritis beneficium impertiri. Super quo cum aliquantulum quieuisset, surrexit ab omni infirmitate curatus.

[98] Matthæus Ioannis de Leone de Piperno, Oblatus dicti monasterij, [oppilatione gutturis,] cum die Lunæ in Albis de sero sanus & hilaris comedisset, circa mediam noctem grauem dolorem stomachi patiens, cum oppilatione tanta

**gutturis, vt respirare vix posset; timens sibi imminere statim mortis periculum, concepta deuotione in corde, quam exprimere non valebat voce, dixit: Adiuua me, S. Thoma, ne inconfessus moriar, quia sum huius monasterij, in quo tuæ sanctæ Reliquiæ requiescunt, Oblatus, & voueo visitare sepulcrum tuum cum reuerentia & candelis accensis. Quibus verbis conceptu mentis dictis corde, immediate ab infirmitate curatus est, agens Deo gratias, & soluens quod promiserat Sancto votum.**

**[99] [febre,] Petrucius de Piperno hospes, habens quamdam filiam paruulam, febrem grauissimam patientem, cum ipse & vxor sua vouissent prædicti Sancti sepulcrum cum oblationibus visitare; continuo fuit a febre & ab omni, quam patiebatur, infirmitate curata. Qui agentes Deo gratias vota soluerunt.**

**[100] Matthæus Capuanus de Piperno, habens filium paruum, [frequenti singultu,] qui ex comestione cuiusdam piscis incidit in tam grauem & frequentem singultum, quod ab eius frequentia factus est lunaticus, vt signa monstrabant; detulit ipsum ad sepulcrum S. Thomæ, petens ipsum eius meritis liberari: super quod cum puerulus parum quieuisset & pater pro eius salute rogasset, surrexit ab omni infirmitate curatus.**

**[101] [cæcitate:] Petrus Balia de Piperno, cum quatuor vicibus continue visum amitteret, & tendentem ad cæcitatem remedia medicine non iuarent, vltimo totaliter cæcus est effectus. Qui auditis miraculis, quæ ad dicti Sancti sepulcrum fiebant quotidie, deuotione concepta, ad ipsum se fecit a quodam eum præcedente conduci: vbi cum diu orans preces ad Deum effunderet pro salute, intercedentibus meritis S. Thomæ, continuo fuit lumine restitutus.**

**[102] Gregorius Citer de Piperno, cum haberet filium paruulum, qui insomnitatem incurrerat, numquam dormiens, [insomnia,] sed vigilans semper, & nullum ei medicinæ adhibitum remedium valeret, concepta deuotione, ad prædicti Sancti monumentum, prædictum filium attulit, & posuit eum super præfati Sancti sepulcrum. Qui puer statim siluit ab eiulatu, & qui diu non dormierat, obdormiuit, & deinceps perfecte curatus ab vtroque defectu surrexit. Cuius pater videns in filio tam manifestum miraculum, cui tam festinanter Sanctus succurrerat, cum ipse pateretur in dextro genu dolorem, nec posset sine baculo ambulare, nec pedem recte in terram ponere, [dolore genu,] deuotione concepta iterum Sanctum orauit, & statim extensa tibia sicut sana sine baculo, cum filio sano pater sanus ad propria remeauit, referens Deo gratias de miraculo duplicato.**

**[103] Iacobus Marcellucius de Piperno, patiens in gutture tumorem Boecij, veniens cum matre ad monumentum, [tumore gutturis:] accessit cum deuotione ad sepulcrum venerabile dicti Sancti, vbi cum deuotus oraret, petiuit apponi super tumorem eius reliquias, quibus apposis, statim tumor disparuit, & ipse perfecte curatus ab infirmitate remansit.**

**[104] Ioannes de Theodino iuuenis, cum impleret vas aquæ in fluuio dicti monasterij, [liberati a periculo submersionis,] impetus dicti fluminis eum cum vase rapuit, & per canalem molendini tanta velocitate proiecit, quod nullo modo potuit se iuuare. Qui cum subito imegisset in instrumentum quo rota vertitur molendini, cum magna deuotione clamauit: S. Thoma de Aquino: & statim percepit se capi ab vno homine per caput, qui ipsum de periculo liberauit, & posuit eum extra aquam: ad quod miraculum superuenit Frater Manuel Conuersus monasterij supradicti.**

[105] Floredensa de Piperno, cum perdidisset oculum sinistrum, præ cuius dolore etiam de dextro videre non poterat, [cæcitate,] & sic tribus diebus sine oculorum lumine maneret; cum adhibitis remedijs nullum sanitatis consequeretur effectum, de nocte recommendans se Deo, meritis S. Thomæ, post orationes & lacrymas multis fatigata suspirijs aliquantulum requiescens, post paullulum quietis euigilans, inuenit se de vtroque perfecte curatam. Quæ vocans virum suum cum gaudio & vicinas, suæ illuminationis beneficium nuntiavit sibi impensum meritis S. Thomæ, quem apud Deum inuenerat adiutorem.

[106] Alexandra de Piperno, antiqua deuota, cum pateretur in brachio dextro dolorem, nec posset remedio medicinæ liberari; Computum a suum, cum quo quotiens diceret orationem Dominicam numeraret, & cum quo ex deuotione retigerat reliquias dicti Sancti, [dolore brachij,] posuit sub brachio, in quo dolor erat intensus: & in loco se prosternens, dixit: S. Thoma, ego reliquias tuas non possum contingere; impetra mihi beneficium sanitatis per istum Computum, quo tuas reliquias me recolo tetigisse. Quo verbo cum deuotione prolato, continuo se sensit penitus ab omni dolore curatam.

[107] Quædam mulier de Piperno patiens in collo dolorem vehementem, [colli.] inuocato auxilio dicti Sancti, fuit protinus ab omni dolore curata.

### Annotatum

Sic Hispani precatoriorum globulorum sertum, quo ad Deiparam Virginem per status salutationum Angelicarum decades inuocandam vtimur, [Computus rosarium.] cuentas id est, numerorum calculos seu rationes nominant.

## CAPVT XV.

### Miracula facta Sompnini, Terracenæ, Fundis, Neapoli: aliqua circa cooperatores Inquisitionis pro Canonizatione.

[108] Ioannes Capocius de a Sompnino, cum in maxilla sinistra dolorem fortissimum pateretur, [Liberantur dolore maxillæ,] concepta deuotione locum tangens dolentem, dixit: S. Thoma, si vera sunt, quæ de te miracula dicuntur, oro, vt me sanes; quia voueo sepulcrum tuum cum reuerentia visitare. Quibus verbis cum deuotione prolatis, ab omni dolore fuit continuo liberatus, agens Deo gratias, & Sancto de tam festino beneficio sanitatis.

[109] Theodora Manuta de Sompnino, cum pateretur in aure intensum cum tumore dolorem, [auris,] concepta deuotione ad dictum Sanctum, nuntium misit, & fecit mensurari dicti Sancti sepulcrum: de quo cum maxillam suam inuoluisset, inuocato auxilio eius, continuo a tumore & dolore protinus liberabatur.

[110] Nicolaus Ioannis Stephani de Sompnino, cum passus fuisset tribus annis grauem tumorem in sinistra tibia cum multis vlceribus, [tibiæ,] nec posset multis adhibitis medicinæ remedijs liberari, ad dictum Sanctum deuotione concepta & voto facto, quod ad eius sepulcrum tibiam portaret ceream, si eius meritis obtineret a Deo de sua infirmitate medelam; protinus fuit ab omni infirmitate curatus, agens Deo & Sancto gratias, & soluens sicut promiserat vota sua.

[111] Matthæus dictus capuriccii de Sompnino, cum passus fuisset in pollice pedis per annum fistulam, [pollicis pedis:] & discurrens per multos medicos, nullum salutis remedium inueniret, ad verbum vxoris, quæ audiuerat ad sepulcrum dicti Sancti multa fieri miracula, concepta deuotione, de sero dicto Sancto se

recommendans, a suo pollice omnia medicamina consueta, de Sancti meritis solummodo confisus, amouit: qui de mane surgens inuenit pollicem pedis sine indicio vulneris ab omni infirmitate curatum, agens Deo & Sancto gratias, qui tam festinus fuit miserator in cura.

[112] Stephania de Rocca-sicca, habitatrix castri Sompnini, hydropica & toto corpore tumida, [sublata hydropsi,] cum concepta deuotiones ad dictum Sanctum venisset ad portam monasterij Fossæ-nouæ, petiuit cum magna deuotione eius reliquias sibi portari. Quæ cum portatæ fuissent, & eius pectori cum signo Crucis & orationibus applicatæ, rediens ad propria, fuit in via, eius crescente deuotione, curata.

[113] Nicolaus de Leone de Sompnino, cum esset in agro, [dolor coxæ & inguinis,] & eum dolor grauissimus in coxa & inguine prægrauasset, timens ad propria non posse redire, concepta deuotione ad S. Thomam, & facto voto, quod in crastino eius sepulcrum nudis pedibus visitaret, fuit continuo liberatus, & ad domum rediens, de mane votum, quod promiserat, deuotus impleuit.

[114] Maria de castro Campanetæ cum paralytim per annos plures ex frequentibus a viro suo turpibus verbis sibi illatis incurrisset; [paralysis,] cum spicas colligeret post messorum, vt paupercula poterat, audiens a diuersis monasterij nominati, quod meritis dicti Sancti multa fierent miracula, vouit se ei, promittens monasterium visitare, si eius meritis sanaretur; & statim perfectissime curata ecclesiam monasterij, vt vouerat, visitauit, narrans miraculum, quod a Sancto impetrauerat, mira celeritate festinum.

[115] Boëtius Passagenus de Terracenis, habitator Fundanus, cum existens in platea, [podagra,] podagra

subito in pedibus grauaretur, redijt adiutus ab alijs ad domum suam: vbi cum grauatus dolore vouisset sepulcrum dicti Sancti quam citius posset visitare, subito pia Sancti intercessione, diuina virtute curatus est.

[116] [dolor stomachi,] Boëtius de Terracena habitator Fundorum cum esset in monasterio Fossæ-nouæ, & audisset a Sacrista, quod ad sepulcrum dicti Sancti multa miracula meritis eius fierent, & grauem dolorem pateretur in stomacho, in quo a sua pueritia fuerat passus, accedens cum deuotione ad sepulcrum dicti Sancti, & petens eius meritis liberari, ponens se super sepulcrum, protinus fuit ab infirmitate curatus.

[117] Dominus Petrus Grassus de Neapoli miles, cum per vnum annum & amplius dextrum brachium sic haberet dolore grauatum, [brachij,] quod capiti suo applicari non posset, transiens per monasterium Fossænouæ, deuotione concepta ad merita dicti Sancti, venit ad sepulcrum, super quod infirmum ponens brachium, petiuit dictum Sanctum sibi fieri propitium, & continuo se sensit ab infirmitate curatum.

[118] Dominus Raynaldus Bacula de Terracena miles, [febris quartana,] cum multis annis passus fuisset quartanam, concepta deuotione venit ad sepulcrum S. Thomæ, vbi cum orasset eius meritis a Deo liberari, ex tunc se sensit a quartana curatum.

[119] Dominus Iacobus Capitanus de Neapoli miles, videns tam celerem in dicto milite impetratam diuina virtute medelam meritis dicti Sancti, cum ipse pateretur in oculis grauem cum dolore puncturam, [punctura & dolor oculi,] ponens faciem suam super sepulcrum eius, simili celeritate fuit diuina virtute curatus: simul agentes Deo gratias, qui simul fuerant dicti Sancti meritis liberati.

[120] Cæsarius de Bono ciuis Neapolitanus, infirmus grauitè duplici tertiana, cum instaret quintus dies accessionis, [tertiana duplex,] & de vita plurimum dubitaret, eo quod nullum paroxysmus sanitatis indicium habuisset; cum fieret inquisitio de miraculis S. Thomæ, concepta deuotione corporaliter se deuouit. Qui cum superueniente accessionis termino nihil sensisset molestiæ, nec certificationem aliquam virtute naturæ, tertio die surrexit, & Domino Episcopo Inquisitori in officio Inquisitionis pro reuerentia dicti Sancti, vsque ad finem deuote seruiuit.

[121] Venerandus Pater Dominus Ymbertus, Archiepiscopus Neapolitanus, ad inquirenda miracula S. Thomæ de mandato Summi Pontificis constitutus, [Archiep. Neapol. liberatur tumore & vlcere in tibia:] cum instaret tempus, quo venerabilis Pater Dominus Angelus Episcopus, in dicta inquisitione collega, deberet simul cum eo Neapoli ad inquirenda miracula dicti Sancti procedere, & ipse pateretur grauem tumorem in tibia simul cum vlcere, quod longo tempore passus fuerat, & in lecto decumberet, & ambulare non posset; rogauit humiliter & deuote Deum, vt meritis dicti Sancti sanitatem dignaretur concedere, & commissam sibi inquisitionem pro Dei & Sancti gloria perfecte implere. Quo verbo cum deuotione prolato, statim de lecto sanus surrexit, & per totam cameram ambulauit, & veniente Domino Episcopo prædicto, inquisitionem sanus & deuotus impleuit.

[122] Prædictus Dominus Episcopus, cum inquisitionem commissam de dicti Sancti miraculis deuote & solícite faceret, [febri acutissima,] contigit vno die de sero, quod febris acutissima ipsum arriperet, & in toto corpore immutaret. Qui de vita desperans, S. Thomam deuote cæpit orare, petens vt superstitem suæ inquisitioni ipsum dignaretur dimittere, quam deuote concesserat inchoare. Quibus verbis dictis cum magna spe & fiducia sanitatis in

illo languore febris caput reclinavit, fatigatus in lecto, & dormiens reliqua parte noctis vsque ad diem, de mane surrexit sanus, sed debilis, perfecte curatus, sine aliqua allevatione quæ facta fuisset artis remedio vel naturæ, egitque Deo gratias, qui concesserat in se merita dicti Sancti cognoscere, quæ desiderabat per alios inuenire. Quæ duo miracula prædicti Sancti scripserunt Domino nostro Pontifici Summo sub vno contextu & serie litterarum, quæ sub eorum sigillis fuerunt pro vera assertione munitæ.

[123] Dominus Matthæus Canonicus maioris Ecclesiæ Neapolitanensis, Nuntius ad Summum Patrem Ioannem Dominum Papam cum inquisitione facta de miraculis dicti Sancti, [Canonicus duplici tertiana,] a præfato Domino Archiepiscopo destinatus; cum pluribus diebus idem, antequam iter ad Curiam arriperet, passus fuisset duplicem tertianam, & de superuentura accessione timeret, cum esset nimium debilis, non valens verbum exprimere, sed suus medicus nullatenus de eius salute speraret, quidam eius socius & Canonicus emisit pro eo votum, dicti Sancti cum eo visitare sepulcrum, quia ipse infirmus præ debilitate verbum exprimere non valebat. Quo annuente, quod votum erat sibi acceptum, statim fuit perfecte curatus. Quem cum medicus hora accessionis sollicitus visitasset, vt ei remedium exhiberet, inueniens eum liberum, & a febre ventura, redeunte diuinitus sanitate, securum, contentus diuinæ beneficio medicinæ, consuluit vt ad confirmationem concessæ diuinitus sanitatis aliquam leuem medicinam acciperet, quæ ipsum ab omni superfluo humore purgaret. Quo annuente, cum satis leuem potionem ei medicus propinasset, & ille hora purgationis debita in lecto grauibus doloribus torqueretur, nec medicus sciret remedium aliquod adhibere, confirmato voto eodem quod fecerat, & pœnitens quod contentus remedio cælestis medici non

fuisset, subito fuit ab omni torsione curatus, & virtute diuina medicina effectum suum habuit naturalem.

[124] Alia magna miracula Sancti dicti meritis Deus ostendit nuntijs, [seruantur iumentum in lapsu,] qui ex parte prædictorum Inquisitorum Inquisitionem factam de eius miraculis Summo Pontifici detulerunt; videlicet prædicto Domino Matthæo & Domino Petro nuntio prædicti Domini Episcopi Viterbiensique Canonico, qui cum venerunt per Alpes, & essent super lacum Lasonensem, saumarius qui portabat saumandium Eracij de Arlotis Romani, per rupem altissimam cecidit super saxa acuta coram dicto lacu. In cuius causa cum Matthæus prædictus inuocasset auxilium S. Thomæ, & animal crederetur ex casu alias fuisse confractum, subito saumarius inter illos lapides surrexit sanus, & non mutato in aliquo suo onere, quod portabat, accessit ad potum, & in nullo fuit a suo itinere impeditus. Quod miraculum omnes traxit qui aderant in stuporem, cum animal virtute naturæ non potuisset euadere, etiamsi sine onere cecidisset.

[125] Simile miraculum dixit prædictus Dominus Matthæus sibi in suo equo, dicti Sancti meritis, diuinitus fuisse concessum: [& equus ne caderet.] qui cum duobus posterioribus pedibus lapsu præcipiti toto corpore esset in rupe, & de anterioribus pedibus se regeret iuxta viam, & ipse ex toto equo dimississet habenas, habens ipsum pro perduto, qui non poterat humano iuuari auxilio: inuocato Dei auxilio, dicti Sancti meritis, cuius inquisitionē miraculorum porrectam portabat, equus magno conamine super pedes anteriores innitens, saltauit ad viam paratus ad iter: suppleuitque in equo virtus diuinæ potentiae, quod deerat virtuti naturæ.

## Annotata

**Saumarius, Bernardo Guidonis Somarius, iumentum dorsuarium, mulus, equus, asinus Gallice Sommier. Hinc Saumandium ipsum onus. In Processu etiam Sommarius legitur.**

## **APPENDIX.**

**∇ Rigans montes de Superioribus tuis,  
 & de fructu operum tuorum satiabitur terra.**

### **Ad Benedictus:**

**Splendens luce diuini muneris nouæ simul & legis veteris, ex quo Thoma iam Deo frueris nos orando iunge cum superis.**

### **Versus.**

**Orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies.**

### **Oratio**

**Deus qui S. Thomam Confessorem tuum luminis tui singulari fecisti splendore clarescere, concede propitius, vt Ecclesia tua eius adiuta meritis & illuminata doctrinis, gaudijs perfrui mereatur æternis. Per Dominum &c.**

**Oratio S. Thomæ de Aquino, quam ipse fecit, & quotidie dicebat inclinatus cum lacrymis.**

**Concede mihi, quæso, misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardentè concupiscere, prudenter inuestigare, veraciter agnoscere, & perfecte implere, ad laudem & gloriam nominis tui.**